



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De S. Adalhardo abbate Corbeiae antiquae et novae

Enck, August

Monasterii, 1873

urn:nbn:de:hbz:466:1-9094

P
03

R
09

DE
S. ADALHARDO
ABBATE CORBEIAE ANTIQUAE ET NOVAE.

DISSERTATIO HISTORICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE IMPETRANDOS
DIE XXIII. MENSIS JULII A. MDCCCLXXIII
IN PUBLICO DEFENDET
SCRIPTOR
AUGUSTUS ENCK
ESSENDIENSIS.

MONASTERII.
EX TYPOGRAPHIA THEISSINGIANA.

MDCCCLXXIII.

1873



03

SR

2039

07/117550

AVO CARISSIMO

GERARDO LUDOVICO ENCK

SCRIPTOR.

AVO GARIBOLDI

GIORGIO LUIGI ENCK

SCRITTORE

De fontibus vitae S. Adalhardi.

1. Vita S. Adalhardi¹⁾ scripta est a clarissimo ejus discipulo Radberto, cui cognomen erat Paschasius. Qui exeunte saeculo octavo natus, unus ex doctissimis suae aetatis viris, scholae Corbeiae antiquae praepositus erat. Cum Adalhardo abbate ejusque fratre Wala tanta familiaritate conjunctus erat, ut „quasi tertius inter eos in omni negotio“²⁾ esset³⁾. Post Adalhardi sed ante Wala⁴⁾ mortem (anno 836) illius, quem semper maxima caritate prosecutus erat, viri vitam scripsit⁵⁾. Verumtamen Paschasius, quia librum confecit monachis⁶⁾, de Adalhardo ita disserit, ut magis abbatis et sancti, quam in rebus publicis versati

1) Acta Sanctorum Bolland., Januarii T. I. p. 95—111; Mabillon, Acta Sanctorum Ordin. S. Benedicti, saecul. IV. pars. 1. Edit. Paris. 1677. p. 308—340. — Excerpta in Pertzii Mon. Germ. Script. II. p. 524—532; ubi capita editionis Mabillonensis annotata sunt.

2) Vita Wala^e lib. I. c. 14. Mabillon, Acta IV. 1. p. 476.

3) Cf. Histoire littéraire de la France par des religieux Bénédictins Tom. V. p. 287 sqq; Wattenbach, Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter, Berlin 1866. Edit. 2. p. 170.

4) Ex Paschasii verbis (cap. 35 vitae Adalhardi, Mabillon l. c. p. 322). Wala eo tempore nondum de vita decessisse discimus.

5) Cf. Mabillon, Acta SS. IV. 1. p. 306. c. 1; Histoire litt. l. c. p. 301. c. 6; Wattenbach l. c. p. 170.

6) Vita Adalh. c. 10, Mabillon l. c. p. 312: Inde est, Frater, si velis advertere“

viri imaginem proponat. Accedit, quod tanto oratorio ornatu utitur, ut saepe res gestae vix plane cognosci possint ⁷⁾.

Paschasii librum saeculo XI et quidem post annum 1040 in ordinem breviorum redegit S. Gerardus ⁸⁾, monachus Corbeiensis ⁹⁾, qui „translatione S. Viti“ ¹⁰⁾ et Adalhardi libro, qui vocabatur „brevis“ ¹¹⁾, usus est.

In libris manu scriptis vitae S. Adalhardi adjuncta est „ecloga duarum sanctimonialium“ ¹²⁾ i. e. Corbeiae Francicae et Saxonicae, quae Adalhardi obitum deplorant. Haec autem ecloga non a Paschasio conscripta esse jure putatur ¹³⁾.

2. Multo difficilior ad intelligendum quam vita Adalhardi est vita Walae („Epitaphium Arsenii“ i. e. Walae) ab eodem Paschasio scripta ¹⁴⁾. Adalhardus in hoc opere, in quo Paschasius, timore imperatoris Ludovici ejusque filii, Caroli regis, permotus ficta nomina adhibet, Antonius vocatur ¹⁵⁾. Opus divisum est in duos libros, quorum prior post Walae mortem (a. 836) Ludovico imperatore, posterior regnante Carolo, Ludovici filio, scriptus est ¹⁶⁾.

7) Cf. Hist. litt. l. c. Wattenbach l. c.

8) Acta SS. Jan. T. I. p. 111—117; Mabillon, Acta SS. saec. IV. 1. p. 345—358. — Cf. Mabillon l. c. p. 306 c. 1; Hist. litt. l. c;

9) Postea abbas monasterii Silvae-majoris.

10) Gerardi vita Adalh. c. 3, l. c. p. 346; c. 44, 45, l. c. p. 355 sq; cf. Mabillonis annot. b.

11) Gerardi vita Adalh. c. 41. l. c. p. 355; cf. Mabillonis annot. a et hujus dissert. p. 46 annot. 1.

12) Mabillon, Acta SS. IV. 1. p. 340—344.

13) Cf. Mabillon l. c. p. 306, c. 1; Histoire litt. IV. p. 486; V. p. 301 sq. c. 6.

14) Mabillon, Acta SS. IV. 1. p. 455—522. — Excerpta in Pertzii Mon. Germ. SS. II. p. 533—569, ubi capita et paginae editionis Mabillonensis annotata sunt.

15) Cf. hujus dissert. pag. 10. annot. 20.

16) Cf. Mabillon, l. c. p. 454. c. 4; Histoire litt., V. p. 303

3. „Translatio S. Viti“¹⁷⁾, a monacho monasterii Corbeiae novae, qui translationi, anno 836 factae, intererat, confecta est¹⁸⁾. Usus est scriptor vita Adalhardi et Ludovici Pii diplomatis¹⁹⁾; sed non, opinor, vita Walae²⁰⁾. De hoc libello infra uberius agam.

4. Alcuini epistolae²¹⁾. Adalhardi epistolae excepto uno fragmento interierunt²²⁾.

Reliquos fontes enumerare, supervacaneum videtur.

sq; Wattenbach, l. c. p. 170; Himly, Wala et Louis le Débonnaire, Paris 1849 p. 9 sqq.

17) Acta SS., Junii T. II. pag. 1029 sqq. (edit. noviss. T. III. Junii Bruxellis 1863); Mabillon, Acta SS, IV. 1. p. 528—537; Pertz, Mon. Germ. SS. II. p. 576—585; Jaffé, Bibliotheca rerum Germanicarum T. I: Monumenta Corbeiensia p. 3—26.

18) Cf. Jaffé l. c. p. 1.; Wattenbach, l. c. pag. 170.

19) Cf. Transl. S. Viti c. 11 et 12, Jaffé, l. c. p. 11 sq. et Jafféi annotationes.

20) Cf. Mabillon, l. c. p. 531. annot. a.

21) Albini seu Alcuini opera ed. Frobenius. Ratisbonae 1777, T. I.

22. De his aliisque Adalhardi scriptis infra disseram.

I.

Consiliarios habeto bonos, pios, prudentes.
Alcuinus ad Carolum regem.


S. Adalhardus, Bernardi filius, Caroli Martelli nepos¹⁾, in Belgii, ut traditur, vico, cui nomen est Hustia

1) Vita S. Adalhardi in Mabillon Acta Sanctorum Ordin. S. Bened. (Lutetiae Paris. 1668 sqq.). Saec. IV. pars 1. pag. 331, c. 61: „cum et Bernardi filius fuisse, fratris magni Pippini regis . . . non abnuitur“. — pag. 310 c. 7: „Qui (i. e. Adalhardus) cum esset regali prosapia, Pippini magni regis nepos, Caroli consobrinus augusti . . .“

Bernardus anno 773, quum Carolus Desiderio bellum inferret, alteram exercitus partem in Italiam duxit. Cf. Annales Laurissenses et Einhardi ad ann. 773 (Pertz Monum. Germaniae SS. I. p. 150 et 151). Annales Lauriss. l. c. Bernardum „avunculum“ Caroli appellant; quam ob rem Hahn (Jahrbücher des fränkischen Reichs 1863. p. 7. annot. 7.) eum fortasse fratrem uxoris Pippini fuisse putat, sed jure Oelsner (Jahrbücher des fränk. Reichs unter König Pippin 1871. p. 425. annot. 4.) et auctoritate Paschasii (in vita Adalh. vide supra) nitendum et in Einhardi annalibus l. c. non sine causa „patruum“ emendatum esse dicit. — Mortuus est Bernardus fortasse anno 788 (787); cf. Annales Mosellani ad ann. 788 (787), Pertz Mon. Germ. SS. XIV. p. 497: „In ipso anno Remigius et Bernehardus defuncti sunt“. Pertz ad hunc locum annotat: „Karoli Martelli filii“. Sed Hahn (l. c. 9 et annot 2) et Abel (Jahrbücher des fränk. Reichs unter Carl dem Grossen 1866. I. p. 85 et annot. 6) Remigium mense Januario anni 771 jam mortem obiisse, testimoniis probant.

anno circiter 752 natus est²⁾. Illius aetatis more, quo filii nobilium Francorum hominum in aula educabantur, ubi

Vide Adalhardi stirpem:



In falso „Chronico Corbeiensi“ ad annum 826 (apud Wedekind: *Noten zu einigen Geschichtschreibern des Mittelalters*. Hamburg 1823. T. I. p. 379) S. Ida, uxor Ecberti comitis Saxonici, Adalhardi soror fuisse dicitur, sed Paschasius (*Vita Adalh. c. 32 sq. l. c. p. 321*) tantum hos quinque, quos supra nominavi, liberos Bernardi enumerat, et S. Ida in cap. 1 vitae ejus (*Pertz Mon. Germ. SS. II. p. 570*) „unica filia“ appellatur. Cf. Wilmans: *Die Kaiserurkunden der Provinz Westfalen, Münster 1867. I. p. 293 sq.*; Wigand: *Die Corveyschen Geschichtsquellen, Leipz. 1841 p. 117*.

Nomen matris Adalhardi ignotum est. Nimirum in libro quodam manu scripto anni 979 traditum esse dicitur, ei nomen Guntlindi fuisse, sed Wilmans (*l. c. p. 63. cf. p. 279 annot. 1.*) docet hunc librum esse falsum. — Neque, qua natione mater fuerit, certo scimus. De Wala, Adalhardi fratre, Paschasius semel atque iterum refert, eum natione Saxonem fuisse (cf. *Vita Walae I, c. 12, 13, Mabillon Act. SS. saec. IV. 1. p. 473, 475.*), de Adalhardo (*Vita Adalh. c. 56. l. c. p. 329*): „Natione autem, quod cunctis liquet, Francorum erat ex summorum genere Genere quidem nobilium nobilissimus Francorum prosapia ortus“. Walae igitur mater, in Saxonia nata, fortasse alia, atque mater majoris (cf. *vita Adalh. c. 32. l. c. p. 321*) Adalhardi fuit. Cf. *Mabillonis Annales Ordinis S. Benedicti Edit. Lucens. 1739 T. II. lib. 27. c. 34, lib. 29. c. 20. p. 345, 437. et imprimis Wilmans l. c. p. 279 annot. 2.* — Ceterum id quoque notandum esse puto, quod Adalhardus trium linguarum, Romanae sive vulgaris, Francicae sive Theotiscaae, Latinae peritus fuit (cf. *annot. 32.*); Wala duarum, (*Vita Walae I. c. 1. l. c. p. 458*) Latinae et Theotiscaae, ut opinor.

2) Bollandus (*Acta Sanctorum, T. I. Jan. p. 95. c. 3.*) dicit, Molanum, qui ex libro Mejeri hausisset, in „natalibus Sanctorum

ad munera sive rei publicae sive ecclesiae obeunda instruerentur³⁾, in regis Pippini aula, iisdem, quibus Carolus Magnus, magistris utens, „omni mundi prudentia“ eruditus est⁴⁾.

Belgii“ referre, Adalhardum Usciae (Hustiae = Huise, prope Aldenardum = Audenarde) natum esse; deinde Molanum haec addere: „Accepi . . . festum S. Adalhardi quondam in Hustia celebre fuisse, et in ore vulgi fuisse, eum inde oriundum, fontem quoque inibi reliquisse, qui in praesentiarum ab eo nomen servat“. Sed tamen Mabillonem (Acta SS. IV. 1. p. 307. c. 3) id movet, quod in libro quodam manu scripto („chronicon“) monasterii Corbeiensis traditum sit, Hustiam non per Adalhardum, sed per comitem quendam Conradum in possessionem Corbeiae venisse. — In eodem libro narratur maximam partem patrimonii Adalhardi in Belgio fuisse. Hoc patrimonium Adalhardus monasterio Corbejensi dedit, et usque ad Mabilionis tempus patrimonium S. Adalhardi vocabatur. Cf. Annal. Ordin. S. Bened. Edit. Luc. T. II. lib. 24. c. 87. p. 227.

Tempus accurate definiri non potest. Adalhardus monachus factus est „ferme cum viginti esset annorum“ (Vita Adalh. c. 8. l. c. p. 311) et quidem exeunte anno 771 aut ineunte 772 (cf. annot. 13.); itaque anno circiter 752 natus esse videtur. (In libro „Histoire litteraire de la France“ IV. p. 484 putatur, eum natum esse anno circiter 753). Ab hoc sane discrepat locus, qui in „ecloga duarum sanctionialium“ (cf. pag. 2.) reperitur (Mabillon, Acta SS. IV. 1. p. 343): „Octoginta pater (i. e. Adalh.) quod vix compleverat annos“; nam Adalhardum die 2 Januarii a. 826 de vita decessisse constat. Sed praefendum est id, quod Paschasius, Adalhardi discipulus, tradit.

3) De nobilibus juvenibus in aula morantibus cf. Waitz, Deutsche Verfassungsgeschichte III. p. 453 sq., Phillips, Deutsche Geschichte II. p. 376.

4) Vita Adalh. c. 7. l. c. p. 310: „Qui cum esset regali prosapia, Pippini magni regis nepos, Caroli consobrinus augusti, inter palatii tirocinia omni mundi prudentia eruditus, una cum terrarum principe magistris adhibitus, elegit magis justitiae fore et veritatis amicus, quam in illicita consentire, etiam multis oblectatus blanditiis“; Vita Adalh. c. 58. p. 329: „Jam si de institutione agitur, eruditus fuit idem alter Moyses omni sapientia praesentis vitae, quasi unus ex filiis regis“. Cf. etiam Abel l. c. I. p. 16.

Pippino mortuo in Caroli aula versatus est, ubi „tiro palatii“ morum severitate excellebat⁵⁾.

Itaque quum Carolus Desiderio, Langobardorum regi, filiam remisisset, non solum matrem Bertham⁶⁾, qua suadente illam in matrimonium duxerat, a se alienavit, sed etiam Adalhardum, qui jure jurando matrimonium firmavisse videtur, quod nonnullos nobiles Francos fecisse constat⁷⁾. Novas nuptias graviter vituperans Adalhardus prorsus recusavit, ne Hildegardae reginae serviret⁸⁾; quin

5) Cf. annot. 4. — De tironibus cf. Du Cange, Glossarium mediae et infimae latinitatis. Ed. Henschel. T. VI. p. 711 sub voce Tyro: „Nobiles aulici, qui principis ministerio inserviebant“.

6) Einhardi vita Caroli, c. 18.

7) Vita Adalh. c. 7. l. c. p. 310: „Unde factum est, cum idem imperator Carolus desideratam Desiderii regis Italarum filiam repudiaret, quam sibi dudum etiam quorundam Francorum juramentis petierat in conjugium, ut nullus negotio beatus senex (i. e. Adalhardus) persuaderi posset, ut ei, quam vivente illa rex acceperat, aliquo communicaret servitutis obsequio; sed culpabat modis omnibus tale connubium et gemebat puer beatæ indolis, quod et nonnulli Francorum eo essent perjuri, atque rex illicito uteretur thoro, propria sine aliquo crimine repulsa uxore“. — Cf. Waitz l. c. III. p. 232; Abel l. c. I. p. 66. et 80. —

Abel l. c. p. 53 sq. 79 sq. probare studet, factionem quandam Langobardicam hoc matrimonio quam firmissime Carolum cum Desiderio conjungere voluisse, (l. c. p. 54); quam factionem omnino esse prostratam, quum Carolus, quamvis Bertha, Adalhardus, alii, qui Langobardorum rebus favissent, vehementer elaborassent, ut matrimonium atque amicitiae necessitudines sustentarent, Desiderii filiam remisisset; Adalhardum vero, hac re laesum, se recepisse in coenobium (l. c. p. 80).

8) Reginae proprii ministri erant. Cf. Phillips, l. c. II. p. 377; Waitz, l. c. III. p. 419 et annot. 5; p. 441 annot. 1.

etiam aulam relinquere atque in monasterium se recipere constituit⁹⁾.

Viginti igitur fere annos natus¹⁰⁾, anno circiter 772¹¹⁾ in monasterium Corbeiense, ad fluvium Somonam situm, se-

9) Paschasius in Vita Adalh., c. 7. l. c. p. 310 (vide annot. 7.) sic narrare pergit: „Quo nimio zelo succensus elegit plus saeculum relinquere, adhuc puer, quam talibus admisceri negotiis, ut propinquus, quem contraire prohibendo non posset, non se consentire fugiendo monstraret“.

10) Vide annot. 2.

11) In monasterium secessit, postquam Carolus Hildegardam in matrimonium duxit, quod fortasse jam anno 771, certe non post ultimum diem mensis Aprilis anni 772 factum est. (Vide Abel l. c. I. p. 85 et annot. 2.) — Cf. Mabillonis Annales (Ed. Luc. II. lib. 24. c. 39. p. 207); Hist. litt. IV. p. 484. — Leibniz (Annales Brunsvicenses ed. Pertz. T. I. p. 41.) opinatur, Adalhardum anno 773 in monasterium se recepisse.

Eodem fere tempore, anno 771, pridie Nonas Decembres Carolomannus, Caroli frater, mortuus est, et complures primores regni Carolomanni, in villa Carbonaco congregati, Carolum successorem fratris declaraverunt; in his etiam comes quidam Adalhardus fuit (Annal. Lauriss. et Einhardi ad a. 771; Pertz M. G. SS. I. p. 148, 149.), quem eundem fuisse, atque Bernardi filium, multi scriptores putant: Mabillon (Acta SS. IV. 1. p. 307. c. 3), Pagi (ad Baronii annales ecclesiast. a. 771. c. 5), Leibniz (Annales Brunsv. I. p. 30 et p. 41), Warnkoenig et Guérard (Histoire des Carolingiens. 1862. I. p. 291). — Ab his dissentiunt: Mabillon (Annales Bened. Ed. Luc. II. lib. 24. c. 39 p. 207), Phillips (l. c. II. p. 38. annot. 14), Abel (l. c. I. p. 83 annot 2), quibus viris assentiri velim. Adalhardus enim non in Carolomanni, sed in Caroli ditione erat, quum in aula Caroli, ut supra dixi, versaretur. Leibniz quidem l. c. putat, Adalhardum paulo ante ad Carolomannum transiisse; sed hanc suam sententiam non probat. Insuper cur scriptores hujus adolescentis viginti fere annorum prae ceteris proceribus mentionem fecerint? Tamen non assentiar Mabilloni, qui dicit (Annales, l. c.): „comitis dignitas non videtur novo tironi palatii, vix annos viginti nato, convenire“. — Phillips l. c. et Abel l. c. opinantur, illum Adalhardum fuisse comitem Allemannicum aut Cabillonensem (Chalon sur Saone).

cessit. Ubi ei, quum jam diu pietate inter monachos praestitisset, mandatum est, ut hortum coleret; quod humile munus ¹²⁾ Caroli jussu ¹³⁾, ut videtur, ei delatum est, ut hac re permotus in aulam rediret. Etiam amici et propinqui saepissime eum invisentes id egisse videntur, ut rem publicam capesseret honoribusque augetur. Verumtamen Adalhardi animum non flexerunt; qui clam in celeberrimum illud Casinense monasterium se contulit ¹⁴⁾. Sed a Caroli legatis non multo post in patriam reductus, deinde vivente abbate Corbeiensi ¹⁵⁾ successor electus est.

Jam vero inde ab hoc tempore non solum in mona-

12) Eodem munere functus esse dicitur in monasterio Casinensi et Rachis, Langobardorum rex, et Carolomannus, Adalhardi patruus. Cf. Mabillonis Annal. Ed. Luc. II. lib. 22. c. 13 p. 123. — Simili modo atque Adalhardi, Walae, fratris ejus, mores Carolus tentavit; cf. Vita Walae (lib. I. c. 6. l. c. p. 464); Himly, Wala et Louis le Débonnaire p. 27.

13) Vita Adalh. c. 9., l. c. p. 311: „quasi ex jussu regio“.

14) Vita Adalh. c. 13., l. c. p. 313: „Videbatur non satis pauper posse fieri in medio parentum suorum, qui regni pollebant honore et divitiarum copiis renitebant; et ideo disruptis vinculis clari nominis voluit pauper fieri sine ambitione, quondam locuples“. — c. 11. l. c. p. 312: „adhuc etiam amplius molestebatur: quia licet pro dignitatis genere, saepius tamen eum in visendo propinqui et noti frequentarent, quam quieti viri animus poposcisset, quo factum est, ut ilico alter Helias fuga laberetur atque ita, qui dudum fuerat multis fulcitus blandimentorum obsequiis, factus est hospes peregrinationis pervenit usque ad montem Casinum, nolens patriae cognoscere curas, neque praedicari de se vento jactantiae laudes. Cogitabat autem necdum divisum a vitiis, quousque moraretur infra patriae fines“ — Cf. etiam Translatio S. Viti, c. 6 (Jaffé, Biblioth. rerum German. T. I. Monumenta Corbeiensia p. 8) et ea, quae Mabillon (Acta SS. IV. 1. p. 529 annot b) ad hunc locum annotavit.

15) Mordramnus. Is mortuus est XIII Kalendas Jun., quo anno incertum; cf. Mabillonis Annal. (Ed. Luc. II. lib. 25. c. 9. p. 236). Adalhardum anno circiter 781 in abbatis locum suffectum esse, opinantur Mabillon l. c., Gallia Christiana X p. 1268.

sterio, sed etiam, quamvis non optaret, in maxima celebritate vixit.

In clarissima enim illa „schola palatina“ illustrissimi hujus aetatis viri atque ipse Carolus jam inde ab anno 782 ab Alcuino aliisque doctis viris litteris instruebantur¹⁶⁾. Horum discipulus Adalhardus quoque fuit; quod apparet ex Alcuini epistolis, in quibus „filius“ appellatur¹⁷⁾, qua voce Alcuinus discipulos suos alloquebatur. Etiam conventibus illis, a Carolo ejusque amicis institutis, ut artibus litterisque se darent¹⁸⁾, Adalhardus interfuit. Hic ei cognomen Antonius inditum est, quod, ut S. Antonius, aliorum virtutes aemularetur. A nonnullis vero Aurelius Augustinus vocabatur, quum hujus sancti viri, quem Carolus tantopere admirabatur¹⁹⁾, opera prospere imitaretur²⁰⁾.

Cum Alcuino, lumine atque ornamento regni Caroli, Adalhardus intima conjunctus erat familiaritate²¹⁾. Itaque,

16) Cf. Wattenbach, Deutschlands Geschichtsquellen im Mittelalter, Ed. alt. p. 108 et 111; Phillips, Karl der Grosse im Kreise der Gelehrten (Vermischte Schriften T. III. p. 93 sq.); Oebeke, De Academia Caroli Magni (Progr. Gymn. Aquisgr. 1847.)

17) Vide annot. 21.

18) Cf. Wattenbach, l. c. p. 108; Oebeke, l. c. p. 8 sqq. Phillips l. c. p. 95 sqq.

19) Cf. Einhardi vita Caroli c. 24; Monachus Sangalliensis de Carolo Magno, lib. I. c. 9.

20) Vita Adalh. c. 21, l. c. p. 316: „Ob hoc (virtutum aliorum aemulationem) ab aliquibus, ut epistolae magistri Albini (i. e. Alcuini) ferunt, Antonius vocabatur; a nonnullis vero, ut supra dictum est, Aurelius Augustinus“. — c. 14. l. c. p. 314: „Erat autem idem beatus patris Augustini velut pedisequus operum clarissimus imitator“. — Antonius etiam in Vita Walae vocatur: lib. I. c. 7. l. c. p. 465. c. 12. l. c. p. 474; c. 11; p. 472. lib. II. c. 13. p. 507.

21) Cf. Alcuini epistolae; Frobenius, Albini seu Alcuini opera. Ratisb. 1777. T. I. epist. 144. p. 205; epist. 212. p. 275; epist. 213, p. 276; epist. 214; p. 277. — In epist. 213 (l. c.

quum postea locorum spatio disjuncti essent, alter alterum invisebat²²). Praestantissimae autem hujus amicitiae testes sunt Alcuini epistolae, in quibus inter alia ad Adalhardum scripsit: „Intimo cordis affectu amavi . . . te specialius ex omnibus fere amicis unum“²³). Ex iisdem epistolis etiam cognoscimus, amico auctore Alcuinum in gremium monachorum Corbeiensium ascitum esse²⁴). Neque minor amicitia ei erat cum Angilberto, qui vocabatur Homerus. Alcuinus enim in epistola quadam ab Adalhardo petivit, ut illum a spectaculis revocaret, quod ipse efficere non posset²⁵). Quae cum Angilberto juncta amicitia aliis quoque Alcuini epistolis comprobatur²⁶). Eodem tempore, quo cum Alcuino, nisi jam antea in monasterio Casinensi, etiam cum Paulo Warnefrido sive Diacono amicitiam contraxit; quod elucet ex ejus epistola „carissimo fratri et domino Adalardo, viro Dei“ inscripta, in qua extrema praeclare:

p. 276) Alcuinus scripsit: „Consciis cordium nostrorum novit, qua caritate literarum consolationes tuarum desiderarem“. — Adalhardi epistolae omnes interciderunt excepto uno fragmento; cf. Mabilon (Acta SS. IV. 1. Observat. praeviae p. 307. c. 7.) Hist. litt. IV. p. 488. c. 4.

22) Cf. epist. 144, l. c. p. 205 et epist. 213, l. c. p. 276 sq.

23) Epist. 213. l. c. p. 276.

24) Epist. 213. l. c. p. 276: „Numquid non me familia Sancti Petri (monachi monasterii Corbeiensis S. Petro sacri) te hortante et deprecante in gremium fraternitatis suae suscepit, quasi unum ex illis?“

25) Alcuini epist. 144. l. c. p. 206: „Olim tibi (i. e. Adalhardo) de his scripsi, optans salutem carissimi filii (i. e. Angilberti), volens per te fieri, quod per me non posse fieri agnovi“. Postea tamen Alcuinus ipse de hac re scripsit (epist. 213, l. c. p. 276) et in epist. 144 (l. c. p. 206) dicit: „vereor ne Homerus (i. e. Angilbertus) irascatur contra cartam prohibentem spectacula . . .“; sed Adalhardus eum certiore fecit, Angilbertum mores emendasse (cf. epist. 213 l. c. p. 276).

26) Cf. epist. 212. l. c. p. 275 et epist. 215. l. c. p. 278.

„Ante suos refluus Rhenus repedabit ad ortus,
Ante petet fontem clara Mosella suum
Quam tuus e nostro carum ac memorabile semper
Dulce Adalard nomen pectore cedat amor.
Tu quoque, si felix vigeas de munere Christi
Esto memor Pauli tempus in omne tui“.

Warnefridus enim Adalhardo, quem aestate superiore invisere voluerat, S. Gregorii quinquaginta quinque epistolas, ex parte recognitas et emendatas, misit rogans, ut reliquas ipse corrigeret ²⁷).

27) Pauli epistola et exemplar epistolarum S. Gregorii hodie exstant Lutetiae Parisiorum (St. Germain 280); cf. Bethmann (Paulus Diaconus . . . in Pertz, Archiv der Gesellschaft für ältere deutsche Geschichtskunde, Tom. X. p. 247 sqq.), qui de vita et scriptis Pauli Diaconi diligentissime disserit. — Exemplar epistolae, quod vocant „facsimile“ est in Mabillonis libro „de re diplomatica“ Edit. alt. Lutetiae Paris. 1709 p. 361. — Edidit epistolam Mabillon in Annal. O. S. Bened. Ed. Luc. II. lib. 25. c. 72 p. 265. — Is, qui epistolam scripsit, tantum Paulus se nominat, tamen omnes res indicant, hunc Paulum eundem esse atque Paulum Warnefridum. (cf. Bethmann l. c.). Bethmann opinatur, in Francia ad fluvium Mosellam in oppido Metis vel in villa Theodonis epistolam scriptam esse. (Cf. Bethmann l. c. p. 266 et 298.). Hoc si verum est, ea post annum 782, quo Paulus in Franciam venit, et ante annum 787, quo tempore Paulus jam in Italiam redierat, composita sit necesse est. Mabillon (Annal. II. lib. 25. c. 72. p. 265) putare videtur, epistolam in monasterio Casinensi, ubi Paulus monachus erat, scriptam esse „quippe qui se pauperem dicat, fratremque Adalhardum passim appellet“. Sed Mabillon non certo scire potuit, quum nonnulla testimonia, quae ad hanc rem pertinent, nondum cognovisset, Paulum jam monachum fuisse, antequam in Franciam venit. (cf. Bethmann l. c. p. 259 et Mabillon l. c. lib. 24. c. 73. p. 222). Paulus igitur Adalhardum fratrem appellare potuit, praesertim si ambo simul in monasterio Casinensi fuerint. Verum ille, se excusans, quod S. Gregorii epistolas non prius transscribendas curasset, etiam scribere potuit: „utpote pauper et cui desunt librarii prius hoc facere nequivi“; nam, quum aliquamdiu in monasterio quodam Franciae moraretur, de abbate ejus ad Theudemarum scrip-

Ex his atque ex eo, quod Adalhardus, ut supra commemoravi, S. Augustinum prospere imitabatur, jam intelligi potest, quanta industria quantoque emolumento sacris litteris se tradiderit. Quum post Caroli obitum exsularet, Cassiodori historiam tripartitam transcribendam curavit²⁸). Sed non solum sacris, verum etiam profanis litteris magno cum studio se dedit²⁹). Ita ab astronomia non alienus fuisse videtur³⁰). Jam vero in monasterio suo adeo

sit: „Cujus hic singulari post principalem munificentiam nutrior largitate“ (ex Lebeuf, Dissertations sur l'histoire de Paris I. p. 414; locus invenitur apud Abel l. c. I. p. 341. annot. 2.)

Hoc loco commemorare licet, inter Alcuini epistolas exstare epistolam quandam, omnino obscuram, sic inscriptam: „Antonio Paulus“ (Alcuini epist. 232, Froben l. c. I. p. 296). Ex epistola patet, Antonium epistolam misisse ad Paulum, qui tunc in monasterio S. Jodoci (Wico = S. Josse sur mer; quod anno 792 vel 793, Alcuino traditum erat; cf. Alcuini epist. 232. l. c. p. 296 et annot b; epist. 81. l. c. p. 119 sq. et annot. b) fuit. Antonius fortasse idem est, atque Adalhardus. Sed Paulus idemne est, atque Paulus Diaconus? Paulus quidam monachus monasterii Turonensis S. Martini fuit, cujus „epitaphium“ invenitur in Alcuini opp. (Froben l. c. II. p. 236) et in Mabillonis Annal. (II. lib. 26. c. 49. p. 299).

28) Exemplar Mabillonis aetate exstabat in bibliotheca Corbeiensi (cf. Mabillon, Acta SS. IV. 1. p. 325 annot b; Annales II. lib. 28 c. 20 p. 384); postea in bibliotheca S. Germani a Pratis (cf. Histoire litt. IV. p. 487) „Facsimile“, quod vocant, reperitur in Mabillonis libro „de re diplomat.“ Ed. 2. Lut. Paris 1709 p. 353.

29) cf. Vita Adalh. c. 61. l. c. p. 330 sq.: „Deinceps igitur arte, qua fuerit eruditus, patet, quia fecundus inventus est eruditionis consilio liberalium artium adeo usque sanctissimus institutor, ut“

30) Mabillonis Observationes praeviae ad vitam Adalhardi (Acta SS. IV. 1. p. 308): „Frodoardus in historiae Remensis lib. 3 c. 23 testatur, Hincmarum Odoni Belvacensi episcopo scripsisse „pro ratione lunae paschalis et lectione, quam Adalardus abbas inde composuit“; cf. Hist. litt. IV. p. 489. — Haec res in aula Caroli diligenter tractata esse videtur; Alcuinus in duabus epistolis (epist. 71.

artibus favit, ut schola Corbeiensis mirum quantum floreret³¹).

Trium linguarum, Romanae, Francicae sive Theotiscaae, Latinae eum peritum fuisse, Paschasius, discipulus ejus, memoriae prodit³²), qui maximis laudibus praeclaram ejus eloquentiam effert. Hanc ejus eloquentiam ex epistolis quoque, quas ad Alcuinum aliosque viros misit, eluxisse tradunt³³), quae omnes, excepto fragmento epistolae ad imperatorem Lotharium missae, interierunt³⁴).

Quibus Adalhardi virtutibus etiam aliae, ad rem publicam capessendam necessariae, non minus laudantur. Magna enim in eo inerat prudentia, constantia, temperantia, magnumque in providendo consilium³⁵). Quae quum

Froben l. c. I. p. 103 epist. 61. l. c. p. 83) „rationem lunae paschalis“ commemorat.

31) Vide p. 48 sq.

32) Vita Adalh. c. 77. l. c. p. 336: „quem si vulgo audisses, dulcifluus emanabat; si vero idem barbara, quam Teutiscam, dicunt, lingua loqueretur, praeeminebat claritatis eloquio; quod si Latine, jam ulterius prae aviditate dulcoris non erat spiritus.“ Adalhardus igitur peritus erat linguae vulgaris sive rusticae sive Romanae, Francicae sive Theotiscaae, Latinae; cf. Adalhardi „alia vita auctore Gerardo“ c. 42; (Mabillon, Acta SS. IV. 1. p. 355). Histoire litt. T. IV. p. 487; Baehr, Geschichte der Römischen Literatur im Karoling. Zeitalter. 1840. p. 59.

33) Vita Adalh. c. 63. l. c. p. 331: „Porro ejus oratio quam facunda, quam plena sensibus, quam suavis auditu manavit! Exstant ejus epistolae ad plurimos directae, et omnium voces, qui numquam se uberius aut expressius loquentem audisse testantur.“ — c. 77. p. 336: „vel quis sine mentis scrupulo poterit epistolarum ejus nitorem eloquentiae recitare?“ — De alloquiis, quae, quum jam moriendi tempus urgeret, habuit (Vita Adalh. c. 74—75. c. 80—81. l. c. p. 335 sqq.), dicit Histoire litt. (T. IV. p. 489 c. 4): „Si Paschase n'y a rien changé, l'on y trouve une diction plus pure, qu'elle n'était alors dans l'usage commun.“

34) Vide p. 45 annot. 44; p. 11 annot. 21.

35) Vita Adalh. c. 15, l. c. p. 314: „Erat . . . constantia

Carolus qua erat sagacitate diu perspecta haberet, fecit eum consiliarium³⁶). Verum ex hoc apparet, quanti rex suum consobrinum aestimaverit, quantopere ei confisus sit. Ad grave enim consilarii munus solum dignissimos atque fidissimos, rei publicae sive ecclesiae muneribus insignes, viros deligebat, qui omnibus majoribus rebus interessent³⁷). Amplissimi et gravissimi consilarii in minore illo conventu sive „placito“, quotannis habito, posterius anni statum tractabant³⁸). In quibus Adalhardus ejusque frater Wala, vir

et virtute solidus, in tantum, ut nil trepidans, nihilque dubitans videretur, etiam si totus terrore infractus orbis laberetur. Verumtamen si aliqua terroris procella impulsus esset, aliquando spe superabat, aliquando vero ratione vincebat. — c. 16: „Equitatus ejus erat quadriga virtutum: rotae vero quadrigae illius, prudentia, justitia, fortitudo et temperantia. Porro prudentia tanta illi inerat, ut fons consilii ex ejus animo manare videretur. Cernebat enim simul praeterita, praesentia et futura: ut de singulis praevideret, quid agendum, quidve sequendum Dei consilio monstraretur. Justitiam vero, quantum sectatus sit, testis est Francia et omnia regna terrarum consultu sibi submissa: maxime tamen Italia, quae . . .“ (vide annot. 43.) — c. 38. l. c. p. 323: „fons consilii“ cf. c. 18, 19. l. c. p. 315. et passim. — Vita Wala lib. I. c. 12. (l. c. p. 474): „Siquidem iste (i. e. Wala) acutior sensu, sed senex noster (i. e. Adalhardus) in consilio et caritate latior, iste quasi pro justitia ferventior, sed ille maturior circumspectione et providentia profundior: ita ut iste in subito acutius responderet ad singula, sed ille longius et simul ad praesens considerabat profutura, et quaecumque evenire possunt e contra“; — et passim. — Hincmarus in epist. de ordine palatii c. 12. Adalhardum „sapientem“ vocat. — Cf. etiam Himly, Wala et Louis le Déb. p. 24 sqq.

36) Transl. S. Viti c. 5., Jaffé, Monum. Corbej. p. 7: „Hic (i. e. Adalhardus) cum esset inter primores palatii atque consiliarius regis.“ Vita Adalh. c. 16. l. c. p. 314: „Francia et omnia regna terrarum consultu sibi submissa“ . . . — Cf. Himly, l. c.

37) Waitz, Deutsche Verfassungsgeschichte, III. p. 442 sqq. et p. 445.

38) Waitz, l. c. III. p. 464 sqq.

belli domique praestantissimus, erant principes atque longe plurimum apud Carolum gratia valebant³⁹). Qui illorum praecipue virorum eorumque sororis Gundradae⁴⁰), virginis doctae atque scriptorum laudibus ornatae, familiari utens consilio rem publicam administravit.

39) Vita Adalh. c. 32 sq. l. c. p. 321: „Erant igitur quinque unius viri semine propagati, quorum trium Imperator Augustus (i. e. Carolus) familiari usus consilio, una secum fundabili quadratura Francorum imperium satis admodum dispositum regebat rei publicae augmentatum Erat autem major natu senex noster sanctissimus (i. e. Adalhardus) maturior consilio, eximior omnibus sanctitate. Deinde Wala virorum clarissimus, tunc temporis primus inter primos et cunctis amabilior unus; nimia familiaritate regi inhaerens et maxima praefecturae dignitate subvectus; in senatu clarior cunctis, in militia vero prudenti animo fortior universis.“ — Cf. Waitz. l. c. p. 445: „Selbst unter Carl haben sie (i. e. consiliiarii) und haben ganz besonders wohl einzelne vertrautere, einen nicht unbedeutenden Einfluss geübt.“ — Cf. Himly, l. c. p. 24 sq.

Wala, frater Adalhardi, multo minor natu (cf. Vita Walae lib. I. c. 12. l. c. p. 474.), a puero in aula educatus, a Carolo, quum ejus indolem tentare vellet, ad humilia subeunda negotia homini cuidam nobili, traditus est. Deinde vero in aulam restitutus, honoribus ornatus, „oeconomus totius domus“ factus est. (Vita Walae lib. I. c. 6. l. c. p. 464: „Restituitur palatio, gratia sublimatur constituitur ab Augusto oeconomus totius domus“ Falso Waitz (l. c. III. p. 414 annot. 2 et p. 446 annot. 1) hunc locum et locum supra laudatum (Vita Adalh. c. 32) ad Ludovici tempus refert; recte: Himly (l. c. p. 27 sq.), Mabillon (Annales Ed. Luc. II. lib. 27 c. 34. p. 345). Provinciae Saxoniae praepositus (cf. Transl. S. Viti c. 7. Jaffé l. c. p. 9; Vita Walae lib. I. c. 6. l. c. p. 465. — Waitz l. c. III. p. 311 annot. 1 etiam hunc locum falso refert ad Ludovici tempus; recte: Himly l. c. p. 28; Wilmans Kaiserurkunden I. p. 281) contra Abodritos bellum gessit. (Vita Walae I. c. 11. l. c. p. 473). — Vide de hoc praestantissimo viro etiam infra.

40) Paschasius in Vita Adalh. (c. 33. l. c. p. 321 vide annot. 39) ita narrare pergit: „Quibus inhaerebat ex latere sexu soror Gundrada, nomine dispar, sed virtutibus procul dubio compar, fratribus assiduitate praesens, si quidem virgo familiarior regi, nobilium

Adalhardus quantus fuerit in negotiis publicis, testis est Italia, quam semel atque iterum gubernavit. Primum hoc regnum ei commissum est, ut Caroli filio, Pippino, quum is anno 781 „rex Langobardorum“ constitutus esset, consilio suo adesset eumque ad rem publicam administrandam institueret. Multa vero mala eo tempore in Italia erant tollenda. Etenim Carolus, quamvis semper id ageret,

nobilissima“ — Gundrada in aula litterarum studiis magna cum industria se dabat atque litterarum sermonibus intererat (cf. Alcuini opp. l. c. II. p. 146, 150 sqq. et Frobenii „monitum prae-vium“ II. p. 5). Alcuinus ea rogante librum „de animae ratione“ confecit, quem ei inscripsit (cf. Alcuini opp. l. c. II. p. 146 sqq.) Cognomen ei erat Eulalia, quo nomine Alcuinus eam in hoc libro et in epistola 184 (Alcuini opp. l. c. I. p. 247), in qua ejus virtutes valde laudavit, allocutus est. Ex hac quoque epistola apparet, eam multum apud Carolum valuisse. „Pro me quoque“, Alcuinus scripsit, „obsecro, tuae prosperitatis intercessore loquere Domno meo David (i. e. Carolo), ne irascatur famulo suo, quia venire non valui, (i. e. ut Romam cum Carolo proficisceretur), sicut voluit, continua praepeditus infirmitate.“ Cf. etiam Alcuini opp. l. c. II. p. 152. — His consideratis, non mirum est, Carolum Gundradae consilio usum esse. „Esto in consilio prudens“ Alcuinus ei in epist. laudata scripsit. — Wilmans (Kaiserurk. I. p. 299. annot. 1.) dicit, non Gundradae, sed ejus fratris Bernarii consilio Carolum in re publica administranda usum esse; sed errat, ut jam ex nexu verborum cap. 32 et 33 Vitae Adalh. (vide supra) liquet. Cf. etiam Vitae Adalh. c. 34 (l. c. p. 322): „Alioquin si respicias eos in negotio rei publicae praelatos, erunt rursus tres publicis mancipati officiis (i. e. Adalhardus, Wala, Gundrada) et duo ad pedes Jesu intenti, tantum ut audiant verbum“ Hi sunt Bernarius et Theodrada, soror, nam in c. 33 (l. c. p. 321) haec legimus: „Reliqui vero duo Bernarius noster et Theodrada soror ejus Deo devota, ad pedes Jesu sedebant; illa quidem Suessionis sanctimonialium regens vitam, iste vero Christi discipulatus nobiscum habens formam.“ — Neque Bernarius, ut Wilmans l. c. putat, antequam monachus factus est, uxorem duxerat; quod patebit, si contuleris inter se: cap. 33, 34 Vitae Adalh. (l. c. p. 321 sq.), Vitae Walae l. II. c. 8. (l. c. p. 497 sq.)

ut omnes magistratus officio suo satisfacerent, hoc non omnino perficere potuit. Omnia fere hujus aetatis rerum gestarum monumenta plena sunt querimoniarum, e quibus apparet, saepissime comites aliosque magistratus officio defuisse atque inferiores homines omni modo oppressisse⁴¹⁾. Itaque mirari non licet, illos in longinquiore regno Pippini „velut praedones“ in populum saevisse. Adalhardus autem statim, postquam in Italiam venit, eos coegit, ut officium exsequerentur et suum cuique tribuerent. In judiciis exercendis aequus fuit ita, ut nullo unquam modo largitioni cederet, quam rem, quum illa aetate etiam amplissimi viri hoc vitio non carerent⁴²⁾, is, qui vitam ejus conscripsit, silentio non praeterit. Ita et Caroli laudem sibi peperit et tantum omnium sibi conciliavit amorem, ut nonnulli eum sicut aliquem de coelo delapsum intuerentur⁴³⁾.

41) Sic de his rebus Waitz l. c. III. p. 349 sq.; cf. III. p. 347; IV, p. 147.

42) Cf. Waitz l. c. IV. p. 352 sqq.

43) Vita Adalh. c. 16. l. c. p. 314: „Justitiam vero, quantum sectatus sit, testis est Francia et omnia regna terrarum consultu sibi submissa: maxime tamen Italia, quae sibi commissa fuerat, ut regnum et ejus regem Pippinum juniorem ad statum reipublicae et ad religionis cultum utiliter, juste atque discrete honestius informaret; ubi tantam promeruit laudem, ut a quibusdam, ita ut fertur, non homo, sed pro virtutis amore angelus praedicaretur. Fatentur enim quod numquam in judicio alicujus personam inspexerit: neque juxta proverbium vulgi, aureo pugno sit murus ejus animi fractus. Solus, ut ajunt, potuit illaesus fluvium transire Acherontis avari, et sine discrimine caecitatis ex alpibus remeare per annos. Ante quem tremebat in promptu superborum altitudo, gloriabatur humilitas mansuetorum. Deposuit enim ilico in ingressu omnem inde tyrannicam potestatem, qui velut praedones in populo furebant tantoque audentius, quantum liciti auxiliabantur domini jure. Unde et omnem terram pessima potestate vastabant. Primum ergo his pacem reddidit, deinde sua cuique pius arbiter jura restituit. Ergo tanta inerat ei sapientiae virtus, ut pro virga censoris judicis ute-

Dum in Italia versatur, Romam quoque se contulit, ubi a papa Leone III. tanta familiaritate exceptus est, quanta, teste Paschasio ⁴⁴⁾ ante hoc tempus Francorum nemo.

retur verbo, neque moram faciens sua cuique quae justa fuerant designando. Fecit igitur ut suam quique adimplerent officium, et nulli jus usurparent alienum. Erat autem thesaurarius pauperum, viduarum patrimonium, pater vero orphanorum, maerentium consolator, brachium infirmorum, et forte superbientium flagrum. Verumtamen omnes de supercilio mentis artificioso deponebat ingenio, et nullum penitus frangebat, nisi quem conspiceret irrevocabilem esse.“ — Cf. Himly l. c. p. 26; Waitz l. c. III. p. 447; Abel l. c. I. p. 319 sqq.

44) Vita Adalh. c. 17. l. c. p. 315: „Atque ita virtute validus mitis et mansuetus Romanorum pervenit ad fines, ubi a domno Leone, tunc temporis Apostolico, tanto familiaritatis officio est susceptus, ut neminem constiterit Francorum antea suscepisse. Unde nostrorum quidam narrant sibi jocoso dixisse animo: France, inquit, sciendo scias, quia si te aliud invenero quam te credo, non ultra necesse est Francorum aliquem huc venire, cui credere debeam. Quo profecto patet, quantum pondus habuerit idem vir, cujus evacuatio fidei Francorum genus omne probaverit non credendum, cujusve firmitatis fuerit.“ — Adalhardum anno 814 Romae apud papam fuisse constat (cf. annot. 68 p. 30.) Sed ea, quae commemoravi, ad aliud tempus referenda sunt, propterea quod Adalhardus Pippino rege ibi fuisse videtur. Nam Paschasius, postquam in c. 16 (vide annot. 43) narravit, quomodo Adalhardus Pippino rege Italiam administrasset, in cap. 17 (vide supra) pergit: „Atque ita Romanorum pervenit ad fines ubi a Leone est susceptus.“ Idem putat Gerardus, qui in „alia vita“ (l. c. p. 549) ita narrat: Taliter igitur disponendo regnum, pervenit fines Romanorum, ubi a Leone papa tanta susceptus est familiaritate“ cf. etiam Mabillon, Annales (II. lib. 26. c. 45 Ed. Luc. p. 227); Bolland. Acta SS. (Januar. I. p. 1086 annot. b); Muratori, Geschichte Italiens, Leipzig 1746 ad a. 798. T. IV. p. 481. — Neque ea ad annum 809, quo anno Adalhardus acta concilii, Aquisgrani habiti, Romam detulit, referenda esse puto, quod eum de necessitatibus regni cum papa egisse, ex verborum nexu apparere videtur. — Quod Adalhardus tanta familiaritate a papa exceptus est, magni momenti duxerim. Nam ex epistola quadam papae Leonis (apud Jaffé, Bibl.

Maximum enim pondus apud papam habuit, qui ei festive dixisse fertur, nulli se Francorum fidem habiturum esse, si in Adalhardo falleretur.

Quo tempore et quamdiu Adalhardus in aula Pippini fuerit, dubium est⁴⁵⁾. Verum is per complures annos, li-

Rer. Germ. Monumenta Carolina, p. 332. sqq.), quae scripta est 801—814, compertum habemus, imperatoris legatos questos esse, quod non comiter Romae excepti essent, atque neminem eorum optasse, ut iterum Romam mitteretur. Papa autem in epistola cupit, legatum mitti, qui exquirat, quid et quomodo illi egerint. Licet conijcere hunc legatum Adalhardum fuisse.

45) Abel (l. c. I. p. 321; cf. p. 297) opinatur, Adalhardum anno 781 in aulam Pippini venisse; Annales Bened. (II. lib. 24. c. 45 Ed. Luc. p. 297); Histoire litt. (IV. p. 485); Leibniz (Annal. Brunsv. (I. p. 191), anno 796; Muratori (Gesch. Ital. ad. a. 798. IV. p. 481) anno 797 vel 798. — Gallia Christiana (X. p. 1268), Waitz (l. c. III. p. 747 et annot. 2) tempus non definiunt. — Mabillon (Annales l. c.) et Muratori l. c. putant, Angilbertum, quem Alcuinus in epistola 22. (l. c. p. 32), rogans, ut hominem quendam, Romam proficiscentem, Pippino regi commendaret, „primicerium palatii“ appellat, consiliarium Pippini fuisse, et Adalhardum anno 796, quo Angilbertus ex Italia rediisset, in ejus locum substitutum esse. Sed tamen notandum est, incertum esse, quo munere Angilbertus in aula Pippini functus sit; prorsus vero dubium esse, quo tempore et quamdiu ibi fuerit. Cf. de his rebus Abel l. c. I. p. 320; Waitz l. c. III. p. 432; Wattenbach l. c. p. 118. Id quidem certum esse puto, Adalhardum ante annum 796 in monasterio suo versatum esse, quum Alcuinus eum ibi invisere vellet. Hoc patet ex Alcuini epistola 144 (l. c. p. 205 sq.), quae scripta est, antequam is aulam Caroli reliquisset, quod anno 796 factum esse constat. In hac enim epistola Alcuinus queritur, quod Adalhardus „nidum paternum“ non visitaret. „Nidus“ autem „paternus“ est aula vel schola palatina, ubi hic ab Alcuino litteris instructus erat; nam in Alcuini epistola 118 (l. c. p. 170), Candido et Nathanaeli inscripta, scholam Turonensem „nidum paternae educationis“ vocat. Illa quoque verba epistolae ad Adalhardum missae: „Putavi me venire ad te sed prohibuit me Romanus comes ingrato tempore“ indicare videntur, Alcuinum fuisse, in aula. — Sed etiam, dum Alcu-

cet nonnunquam in Franciam reverterit, ibi fuisse vide-

nus in monasterio degit, i. e. 796—804, Adalhardum aliquamdiu in monasterio Corbeiensi fuisse, necesse est; quia ille in epist. 213 (l. c. p. 276) questus est, quod is, quamdiu in monasterio Corbeiensi moraretur, unam tantum epistolam sibi scripsisset.

Hoc loco altera quoque sententia, a doctis viris, quantum equidem scio, neglecta, commemoranda est.

Etenim Alcuinus in epistola 212 (l. c. p. 275) Adalhardo scripsit, sibi nuntiatum esse, fratrem ejus, Bernarium, qui in monasterio insulae Lirinae monachus fuit, in aulam venire jussum esse; sua vero sententia, illi ibi periculum instare. Deinde pergit: „Non tibi sit durum, cum Homero (i. e. Angilberto) nostro consilium inire salutis perpetuae de fratre tuo, et mittere ad amicos vestros, qui sint in palatio, qui illum bonis erudiant consiliis et revertendi ei licentiam inquirant; litterisque vestris illum admonere, ne dubitet animo, ne titubet gressus illius, sed unanimiter Pietatem Imperialem poscat regrediendi facultatem.“ Ex hac epistola apparet, Adalhardum et Angilbertum tunc non in aula Caroli fuisse; sed ambo alio loco una versati esse videntur. Itaque Frobenius (Alcuini opp. I. p. 276 annot. d) vult, Adalhardum simul cum Angilberto tunc in aula Pippini fuisse. Quod si verum esse sumamus, illos non ante annum 801, quo Carolus, imperatoris nomine ornatus, ex Italia in Franciam revertit — in epistola enim „Pietas imperialis“ vocatur — neque post d. 18 mensis Maji a. 804, quo Alcuinus de vita decessit, ibi fuisse consequitur. Frobenius etiam opinatur (l. c. I. p. 278 epist. 215 annot. b), hanc epistolam eandem esse atque eam, quam Alcuinus epistolae 215, ad Angilbertum missae, adjunxit, ubi haec legimus (l. c. p. 278): „Antonio (i. e. Adalhardo) itaque, filio meo, fratri vestro has literas alias, deprecor, ut quam citissime clausa cartula, sicut est, deprecor, ut dirigas; quia, si discincta veniat in praesentiam illius, vilescat apud eum. Tamen placet mihi, ut eo dirigente iterum videas illam, sed fides servetur, ut ei primo dirigatur, cui soli mittetur. Si habeas Jordanis historiam, dirige mihi ipropter quorundam notitiam rerum. Vos filii carissimi! in omni caritate et sanctitate Deo servire studete . . .“ — Profecto his epistolis probari videtur, Adalhardum simul cum Angilberto tunc in aula Pippini vixisse. Sed notandum est, monasterium Centulum S. Richarii (St. Riquier), cujus abbas certe jam inde ab anno 794 Angilbertus erat (cf. Wattenbach l. c. p. 118),

tur⁴⁶⁾ atque certe etiam post annum 795, quo Leo III. papa electus est⁴⁷⁾.

Anno circiter 800 Adalhardus functus est munere „mansionarii“⁴⁸⁾, cujus erat providere, ut muneri aulico

haud procul a Corbeia situm esse — Paschasius in Vita Adalh. (c. 86. l. c. p. 339). Centulum „vicinum“ monasterium vocat; cf. v. Spruner, histor. Atlas, tabula 12 —; itaque Adalhardus cum Angilberto „consilium inire“, ut Alcuinus in epistola 215 (vide supra) scripsit, potuit, licet uterque in monasterio suo moratus sit. Jam alterius epistolae (epist. 215) verba „Vos filii carissimi! in omni caritate et sanctitate Deo servire studete“ re, vera indicare videntur, Angilbertum et Adalhardum tunc in monasterio versatos esse. (Fortasse vero verba ad monachos Centulenses referenda sunt). Praeterea quod Alcuinus Jordanis historiam ab Angilberto petit, permagnam bibliothecam in monasterio Centulo fuisse constat (cf. Wattenbach l. c. p. 119). Verumtamen omnibus bene consideratis, Frobenii sententiam prorsus rejicere non possum.

46) Vita Adalh. c. 16. (vide annot. 43): „solus . . . potuit . . . sine discrimine caecitatis ex alpibus remeare per annos.“

47) Cf. annot. 44. — Leo III. papa electus est die 26 m. Decembr. a. 795.

48) Hoc colligo ex Alcuini epistola 214 (l. c. p. 277), ita inscripta: „Antonio (i. e. Adalhardo) Albinus (i. e. Alcuinus), mansionario matricularius salutem.“ Prima epistolae verba sunt haec: „Ideo dico mansionarium te, quia ‚multae sunt mansiones in domo Patris‘ aeterni, quarum te non solum habitatorem, sed etiam inter apostolicam Auctoritatem judicem esse opto, quis in qua dignus habitare discernatur.“ Haec epistola scripta est, quum Alcuinus in monasterio Turonensi esset i. e. 796—804; nam „matricularius“ vel „matricularius S. Martini (sic Alcuinus in epist. 109 l. c. p. 159 scripsit) idem significat, quod custos S. Martini i. e. templi monasterii Turonensis; cf. Ducange Glossar. Ed. Henschel. sub voce: matricularius. Attamen ex ipsius epistolae verbis efficitur, eam scriptam esse anno 799 aut 800, quo papa de iis, quae inimici ei crimini dederant, se purgavit et Carolus iudicium de inimicis commisit (cf. Einhardi Annal. ad a. 800 et 801, Pertz. M. G. SS. I. p. 189). Quas res Alcuino valde cordi fuisse, ex compluribus ejus epistolis liquet. Carolo enim scripsit (epist. 93 l. c. p. 138): Quicquid vero de illis (i. e. inimicis papae) agendum sit, vestra cautissima considerare

praepositi et ii homines, qui ea, quae ad regem, iter facientem, excipiendum necessaria essent, pararent⁴⁹⁾. Tali honore ornatus utrum cum Carolo Romam profectus sit, an anno 799 cum papa, qui quum ab inimicis violatus ad Carolum confugisset, honorifice per legatos reductus est⁵⁰⁾, mihi decernere in animo non est. Neque vero non sine veritatis specie est, Adalhardum et iudicio de papae inimicis commisso interfuisse⁵¹⁾, et illo festo die Romae fuisse, quo Carolus imperatoris dignitate auctus est.

habet sapientia: quae optime novit, quid cui conveniat personae et quid cui sit facto retribuendum“ (cf. epist. 81. l. c. p. 119); Arnoni scripsit (epist. 112 l. c. p. 134) „ . . . labora . . . pro summi pastoris incolumitate, . . . esto . . . verax in iudiciis, sollicitus discernere, quid cui conveniat.“ Verbis autem, quibus Alcuinus in his epistolis usus est, „quid cui conveniat“ respondent verba epistolae Adalhardo scriptae: „quis in qua (i. e. mansione) dignus habitare discernatur.“ Hoc magis perspicuum erit, si commemoravero, quomodo Alcuinus verba „multae sunt mansiones in domo Patris“ in „commentariis in evangel. S. Joannis“ interpretatus est; ubi haec (Froben l. c. I. p. 597): „Quia merita eorum diversa sunt, ideo in domo Patris mansiones multae.“ Verbis igitur „sed etiam inter apostolicam Auctoritatem (i. e. papam) iudicem esse opto, quis in qua dignus habitare discernatur“ significare voluit, se optare, ut Adalhardus unus ex iudicibus esset, qui de criminibus papae objectis iudicaret. — Ex his omnibus, quae dixi, manifestum esse putarim, epistolam circiter annum 799 vel 800 scriptam esse. Adalhardus hoc tempore in Caroli aula fuisse videtur, nam in extrema epistola legimus haec: saluta fratres nostros, commilitones, tuos et specialiter eos, quos familiarius nos dilexisse scias.“

49) Cf. de munere mansionarii: Waitz, l. c. III. p. 421; Ducange l. c. sub voce, Edit. Henschel IV. p. 238. Non mirum est, abbatem hoc munus obiisse; etiam episcopo Frothario mandatum est, ut „a monte Jovis usque palatium Aquis“ loca pararet, in quae legati quidam deverterent; cf. Ducange l. c., Waitz l. c. IV. p. 21 et annot. 4.

50) Einhardi Annal. ad a. 799. (Pertz M. G. SS. I. p. 187).

51) Cf. Einhardi Annal. ad a. 801. (Pertz l. c. p. 189) et Annal. Lauresham. ad a. 800 (Pertz l. c. p. 38).

Anno 809, mense Novembri Aquisgrani concilio „de processione Spiritus sancti“ habito, Adalhardus et Bernarius, episcopus Wormatiensis, Romam missi sunt, ut acta concilii papae deferrent⁵²⁾. Sed tamen legati, quamvis in colloquio, quod Leo III. mense Januario anni insequentis in basilica S. Petri cum iis habuit, rem suam probare studuissent, infecta re redierunt⁵³⁾.

Jam vero, quum Carolus praesertim post annum 800 per legatos sive missos omnia, quae magni momenti viderentur, efficere vellet atque inde ab hoc tempore solum illustres et prudentes viros in omnes imperii partes mittere soleret⁵⁴⁾, Adalhardo quoque iterum atque saepius munus legati mandatum est. Exstat epistola⁵⁵⁾, fortasse anno 806 scripta, qua Adalhardus et alii, qui cum eo missi erant, legati comitem quendam hortati sunt, ut ea, quae comitis essent, agere studeret; quod imperator omnia sibi

52) Einhardi Annales ad a. 809. (Pertz l. c. p. 196): „ imperator. . . . Aquas reversus, mense Novembrio concilium habuit de processione spiritus sancti, quam quaestionem Johannes quidam monachus Hierosolimus primo commovit, cujus definiendae causa Bernharius, episcopus Wormacensis et Adalhardus, abbas monasterii Corbeiae, Romam ad Leonem papam missi sunt“; cf. Jaffé, Regesta Pontificum p. 219. n. 1925; Mansi, s. Conciliorum nov. et ampl. collectio, Venetiis 1769. T. XIV. p. 17—28; Hefele, Concil-Geschichte III. p. 698 sqq.; P. Alberdingk-Thijm, Karl der Grosse und seine Zeit. Münster 1868. p. 301 sq.

53) Argumenta, quae legati in colloquio protulerunt, apud Mansi l. c. p. 18 sqq. — Cf. etiam Hefele l. c. p. 702; Alberdingk Thijm l. c. 304 sq.

54) Cf. Waitz l. c. III. p. 380 sqq.

55) Pertz M. G. Leges I. p. 137; Jaffé, Bibl. Rer. Germ. Monum. Carol. p. 417 sqq.: „Diligendo nobis in Domino illo comiti Hadalhardus, Fuldradus, Unrocius seu Hrocculfus, missi domni imperatoris in Domino salutem“ cet. — Pertz l. c. legationem ad primos menses anni 806 referendam esse putat. — Cf. de hac legatorum epistola Waitz l. c. III. p. 397 et annot. 4.

referri jussisset. Deinde Adalhardus aliique viri, quum Pippinus rex die 8. mensis Julii a. 810 de vita decessisset, a Carolo „ad procurandam Italiam“ missi sunt⁵⁶⁾. Ibi munere suo fungens mense Majo a. 811 monasterium Nonantulam quoque ingressus est, ut singulas monachorum necessitates tractaret. Praecipue vero missorum erat, omnes provinciae res diligenter inquirere, id quod imprimis in conventibus illis, quos vocabant „placita“, ubi provinciae magistratus nobilesque viri aderant, exsequebantur. Praeterea judicia pro imperatore missi committebant⁵⁷⁾. Ita Adalhardus mense Martio a. 812 ad „singulorum hominum causas audiendum vel deliberandum“ Pistoriae versatus est, ibique cum legatis papae⁵⁸⁾ iudicium exercuit⁵⁹⁾. Eodem

56) Tiraboschi, Storia dell' augusta badia di S. Silvestro di Nonantola. Modena 1784. T. II. p. 36: „Cum post obitum p. m. d. Pippini regi d. imperator Carolus missos suos ad procurandam Italiam dirigeret ipsique opus sibi injunctum, quantum Domino largiente poterant, peragere decertarent, contigit inter cetera, ut Adalhardus abbas, qui unus ex ipsis erat, ad monasterio Nonantulam veniens et de singulis necessitatibus illorum, tam spiritualibus quamque et corporalibus cum eis conferens cet.“ Cf. Tiraboschi l. c. II. p. 75; Waitz l. c. III. p. 376 annot. 1. — Waitz l. c. III. p. 401: „So hat Karl neben den Königsboten, die in bestimmter regelmässiger Weise thätig waren, auch noch fortwährend andere bei ausserordentlichen Gelegenheiten ausgesandt, nach Italien z. B. nach dem Tode seines Sohnes Pippin, um den Zustand des Landes einer umfassenden Untersuchung zu unterwerfen.“

57) Cf. Waitz l. c. IV. p. 348 sq.; Philipps, Deutsche Gesch. II. p. 414 sqq.

58) Cf. Waitz l. c. IV. p. 350.

59) Muratori, Antiquitates Italicae, Tom. V. p. 953 sq.: „Cum in Dei nomine ego Adalardus, Abbas, Vassus Domni Caroli Imperatoris residissem in civitate Pistoria singulorum hominum causas audiendum vel deliberandum, sedentes illic insimul Willeradus Episcopus, Bonifatius Ducx, Poto et Leo Iudices et Bo-

anno, postquam Carolus Bernardum, Pippini filium, in Italiam misit, Adalhardo iterum hoc regnum administrandum traditum est. Neque vero, quum Bernardus, cui Cunicundam uxorem junxerat⁶⁰⁾, anno 813 rex Italiae factus esset, regnum gubernare destitit⁶¹⁾.

nifredus Notarius Domni Regis, Adaprant et Christianus Abatibus, Fredo, Mauro et Petrus Ducx, Missi Domni Leoni Pape, Ermenfridus et Audo Scabinus de Camarino, vel reliqui plures illic adstantibus“ cet. Judicio decernitur, ut abbas monasterii S. Bartholomaei a publicis oneribus immunis sit. In extremo decreto scripta est haec: „Ideoque ego, cui supra Adalardus, Missus Domni Imperatoris commendavi, et ipsius Domni nostri auctoritate et de sua jussione, ut Anno Regni Domni Caroli in Italia Tricesimo octavo, Mense Martio, Indictio Quinta. Ego Adalardus“ cet. — Adalhardus in hoc decreto et „vassus“ et „missus“ imperatoris vocatur. Cf. de hac re Muratori l. c.: „Heic raro aut etiam inusitato exemplo dicitur Abbas Vassus Domini Caroli Imperatoris. Num forte antiqui librarii culpa vassus pro missus scriptum fuerit?“ cf. tamen Waitz (l. c. IV. p. 206 annot. 1), qui hoc loco „vassus“ legit.

60) Cf. Transl. S. Viti c. 6 (vide annot. 61). Nomen uxori Bernardi Cunicundae fuisse, Mabillon (Annales, II. lib. 31. c. 39 Ed. Luc. p. 534) et Jaffé (Monum. Corbei. p. 8. annot. 1.) docent.

61) Transl. S. Viti c. 6. (Jaffé, Monum. Corbei. p. 7): „Sed jam dicto abbati (i. e. Adalhardo) illo in tempore commissa erat cura maxima, videlicet ut regnum Longobardorum gubernare deberet donec filius Pippini Bernhardus nomine cresceret; nam ipse Pippinus Caroli regis filius, ante triennii tempus obierat. Et ideo praedictus abba non potuit perficere, quod cupierat (i. e. monasterium in Saxonia condere), et per sexennii tempus tardatum est opus. Factum est autem postquam praefatus puer crevit, accepit ei uxorem, et constituit secundum jussionem principis super omne regnum.“ — Cf. Annales Einhardi ad a. 812 (Pertz M. G. SS. I. p. 199); „ imperator generali conventu Aquis solemniter habito (circ. d. 4. m. Aprilis; cf. Böhmer. Regesta chronol.-diplom. Carolorum p. 27), Bernhardum filium Pippini, nepotem suum, in Italiam misit; et propter famam classis, quae et de Africa et de Hispania ad vastandam Italiam ventura dicebatur, Walanem, filium Bernhardi patruelis sui cum illo esse jussit, quoad usque rerum eventus securitatem

Regni autem rebus quantopere tunc consuluerit, ex his, quae Paschasius memoriae prodidit, facile intellexeris.

nostris afferret.“ — Himly (Wala et Louis le Deb. p. 26 annot.) his annalium verbis inductus, dicit: „Transl. S. Viti fait administrer l'Italie à Adalhard, au nom de Bernard. C'est une erreur manifeste. L'auteur a confondu Adalhard avec son frère Wala.“ Sed jam Eckhart (Commentarii de rebus Franciae orient. T. I. p. 71) vera perspexit: „Adalhardus Bernhardum consiliis instruxit, Wala frater forti manu Italiam defendit.“ Cf. etiam Annal. Bened. II. l. 27. c. 73 Ed. Luc. p. 362 sq.

Pippinus mortem obiit d. 8. Jul. a. 810, quam ob rem Jaffé (l. c. p. 7 annot. 5) ex verbis „nam ipse Pippinus ante triennii tempus obierat“, cogit: „itaque regni Langobardorum administratio Adalhardo anno 813 commissa esse videtur.“ Sed tamen si totum locum diligenter exquisiverimus et cum Einhardi annalibus a. 812 (vide supra) et anno 813 comparaverimus, in aperto erit, Adalhardum jam anno 812 Italiam administrasse. Traditur enim in annal. 813 haec (Pertz l. c. p. 200): „Imperator Aquasgrani reversus est; ac deinde habito generali conventu (mense Augusto aut Septembri; cf. Böhmer Reg. Carol. p. 27) Bernardum . . . nepotem . . . Italiae praefecit et regem appellari iussit.“ Verba igitur Translationis S. Viti: „abbati commissa erat cura maxima, videlicet, ut regnum Longob. gubernare deberet, donec Bernhardus cresceret“ ad annum 812 vel superiores annos, verba autem „factum est postquam puer crevit constituit secundum jussionis principis super omne regnum“ ad annum 813 referenda sunt. — Si vero Adalhardus jam anno 812 Italiam administravit, is, qui Translationem scripsit, ante triennium Pippinum de vita decessisse contendens, errat.

Etiam alteram difficultatem, quae in Translatione S. Viti reperitur hoc loco silentio non praetereamus. Monasterium Saxonicum mense Julio a. 815 conditum est. Quam ob rem Jaffé verba „per sexennii tempus tardatum est opus“ emendare vult; annotavit enim (l. c. p. 8 annot. a): „biennii legendum videtur (sc. ab a. 813 ad 815). Facile enim pro bi sumi potuit VI.“ Sed, quum modo explanavisse putem, Adalhardum jam anno 812 Italiam administrasse, malim corrigere „triennii“. Verumtamen, quum Adalhardus jam post Pippini obitum etiam mense Martio a. 812 (cf. p. 25), paulo ante Bernardi adventum, in Italia versatus

Narrat enim, Beneventum et Spoletum — hoc erat in Bernardi ditione — usque inter se bellum gessisse; Adalhardum vero Beneventum ingressum, effecisse, ut civitates stabilem facerent pacem, quam perpetuo servassent. Quare Graecorum et omnium, qui Italiae insulas incolerent, hominum amorem sibi conciliasse⁶²). Quae Paschasii narratio ad annum 812 referenda videtur esse, quo Grimoaldus II., Beneventanorum dux, pace facta, tributum viginti quinque millium solidorum contulit⁶³). Adalhardi igitur opera et prudentia Beneventani tandem Caroli imperio se subjecerunt, deindeque fidem etiam post Caroli mortem servarunt.

sit, locum non esse corrigendum eenseo, sed scriptorem significare voluisse puto tempus inde ab anno 809 — quo Adalhardus Romam profectus est (vide supra p. 24.) — usque ad mensem Jul. a. 815. Idem Mabillon, (Annal. II. l. 27. c. 73. Ed. Luc. p. 362) arbitratur; monumenta autem, ex quibus elucet Adalhardum anno 811 et 812 in Italia fuisse (vide annot. 56 et 59) non cognovit. Verba quidem „ante triennii tempus obierat“ vix explicari possint; quamquam constat, ante ver anni 813 Adalhardum ad aliquod tempus in Franciam revertisse. (cf. Tiraboschi, Nonantola II. p. 37).

62) Vita Adalh. c. 29. l. c. p. 318: Novit hoc Spoletum et Beneventum: qui cum hostili gladio se invicem indesinenter caederent, factum est, ut idem beatus (i. e. Adalhardus) illuc usque ob hoc progrediens deveniret et Beneventum intraret; porro ibi cum esset, inter eos tantam restituit pacem, ut usque hodie connexi et confoederati, sibi mutuo in pace Christi cohaerent. Unde non solum apud eos, sed etiam apud Graecos et omnes maris insulas nimium promeruit amoris gratiam famamque virtutis.“

63) Einhardi Annales a. 812 (Pertz. M. G. SS. I. p. 199): „Pax cum Abulaz rege Saracenorum facta, item cum duce Beneventanorum Grimoaldo, et tributi nomine viginti quinque milia solidorum auri a Beneventanis soluta.“ — Adalhardi opera hanc pacem factam esse, conjiciunt: Muratori (Gesch. Italiens ad a. 812. IV. p. 541); Leibniz (Annales Brunsv. I. p. 285); Eckhart (Franc. orient. II. p. 71); Funck, (Ludwig der Fromme, Frankfurt 1832 p. 49).

Ut per annos 811 et 812, ita per annos 813 et 814 Adalhardus legati sive „missi“ munere functus est, quamvis hoc raro per complures annos eidem viro mandaretur⁶⁴). Neque, ut Adalhardo, uni solum viro munus assignabatur⁶⁵). Qui munere suo fungens d. 4 mensis Junii a. 813 iterum monasterium Nonantulam intravit⁶⁶) et mense Februario a. 814, nuntio de Caroli morte nondum sibi allato, Spoleti duobus deinceps diebus judicia commisit⁶⁷). Deinde Romam se con-

64) Cf. Waitz l. c. III. p. 388 et annot. 3: „In einzelnen Fällen ist die Stellung auch sonst länger einem und demselben geblieben, so . . . dem Adelhard in Italien“.

65) Waitz l. c. III. p. 388: „Dass nur ein einzelner als missus ausgesandt wird, erscheint jedenfalls als Ausnahme“. Cf. tamen Waitz l. c. III. p. 395.

66) Cf. Tiraboschi, Nonantola II. p. 38. — Petrus abbas monasterii ineunte vere hujus anni Constantinopolim ab imperatore missus erat; cf. Einhard. Ann. a. 813 (Pertz Mon. Germ. SS. I p. 200); Jaffé, Mon. Carol. p. 416.

67) Mabillon, Museum Italicum Tom. I pars. 2 p. 54 sqq.; Muratori, Scriptores rerum Italicar. T. II. pars 2. p. 361; Ficker, Forschungen zur Reichs- und Rechtsgesch. Italiens. 1868 sqq. IV. 1. p. 11. n. 8.: „Cum venissem ego Adalhard abbas, missus domni imperatoris Caroli, civitatem Spoletium et residissem in judicio in palatio cum Sigualdo, Grädigis et Hisemundo episcopis, Leone iudice domni regis . . .“, postero die cum „Suppone comite palatii, Guinichis et Heccideo ducibus . . . Anno dominorum nostrorum Caroli et Bernardi regum XL et V mense Februario, Indictione septima“. His judiciis Benedictus, abbas Farfensis, nonnullas res monasterio suo recuperavit. — Ex decreto apparet, Adalhardum nondum cognovisse, imperatorem mortuum esse. — In „chronico Farfensi“ (apud Muratori l. c.) Adalhardus nescio an falso comes vocatur; cf. Muratori l. c. Idem scriptor dicit (l. c. p. 364 annot.): „quum anno 810 VIII Idus Julias Pippinus e vivis excesserit, Februario mense anni 814 decurrere Bernardo minime potuit annus V regni. Num ergo legendum anno IV?“ Legi tamen potest „anno V“, nam Sickel (Acta regum et imperatorum Karolin. 1867. I p. 223 annot 3) ostendit, in diplomate quodam imperatoris Ludovici dat. 21 Januar. 832 scriptum esse anno XIX. Carolum autem d. 28 Januar. 814 mortem obiisse con-

tulit, ut cum papa, apud quem, ut supra commemoravi, in gratia erat, de necessitatibus regni et regis Bernardi ageret. Ubi, vehementer laetans, quod omnes res prospere Bernardo procederent, per litteras de morte magni imperatoris certior factus est. Qua re permotus statim in monasterium Corbeiense rediit ⁶⁸). Paulo tamen post concilio Noviomensi interfuit, in quo termini duarum paroeciarum constituti sunt ⁶⁹).

stat. Itaque fortasse etiam hoc loco totus annus 814 annus Bernardi V. numeratus est.

68) Transl. S. Viti c. 6. (Jaffé l. c p. 8): „His ita gestis, perrexit Romam, non solum orationis causa, sed etiam, ut cum venerabili viro Leone papa conferret de necessitate regia et plebis. Ubi cum moraretur atque simul de profectu adolescentis gauderet, subito venit nuntius pennigero volatu, afferens epistolam luctuosam nimis de morte Caroli imperatoris. Qua perlecta, moestus nimis venerabilis pater illo de loco abcessit statimque ad monasterium proprium perrexit.“ De quibus rebus cum papa egerit, ex parte conjecerimus, si legimus epistolam, quam papa anno 808 ad Carolum misit; Jaffé, Mon. Carol. p. 310.

69) Flodoardi historia Remensis apud Bouquet, Script, rer. Gallic. et Franc. T. VI. p. 213; cf. Mabillon, Annales II. l. 28. c. 17. Ed. Luc. p. 382.

II.

Dubium non est, quin Adalhardus et Wala, frater, multos sibi reddiderint inimicos multorumque hominum excitaverint invidiam; in his complures, quibus Ludovicus in Aquitania usus erat, consiliarii numerandi esse videntur. Neque mirum est, Carolo mortuo hos homines vehementer id contendisse, ut amplissimos illos viros a re publica atque novi imperatoris consilio removerent¹⁾. Adalhardum imprimis etiam homines quidam potentiores, quibus obsteterat, ne injuste facerent atque inferiores homines vexarent, pro innocentia et severitate ulcisci studebant; qui,

1) Vita Adalh., c. 35., l. c. p. 322: „venit invidiae ventus et dispersit eos procul ab invicem“ c. 43. p. 325: „tentatione . . . invidorum“ c. 30. p. 319; „Unde et factum est cum imperator Carolus, dum vitae fecisset extremum, et Hludovicus proles ejus Augustus successisset in regnum, ut diaboli agente invidia in eo veritas pravorum rursus solitis agigaretur insidiis. Nec novum aliquid: quia apud improbos semper inimica veritas fuisse comperitur et justitia stultorum criminibus lacerata. Unde dolo accensi atque invidia, excogitaverunt, quomodo ac si Danielem ex regis latere amoverent, ut justitia ulterius non habendo defensorem statum amitteret et iniquitas suis perempta fraudibus locum dominandi reciperet. . . .“ — Vita Walaе lib. I. c. 2. l. c. p. 459: „Verum saeculi gloria numquam sine invidia est, nec prosperitas sine discrimine alicujus adversitatis. . . . Unde Arsenius (i. e. Wala) cum pulsaretur quorundam insidiis“ . . . (vide annot. 9). — Cf. Himly Wala et Louis le Déb. p. 65.

talibus viris oppressis, impune se dominaturos esse, sperabant²⁾. Sunt quoque, qui Adalhardum et Walam, Carolo vivente id egisse putent, ut non Ludovicus sed Bernardus, rex Italiae, imperatoris dignitate augeretur³⁾. Quod si verum sit, eo magis inimici speraverint, fore ut illorum potentiam suspectam redderent, quum Ludovicus suspicioso esset animo atque consiliariis nimis confideret⁴⁾. Wala autem, quum imperatori, ab Aquitania Aquisgranum proficiscenti, obviam isset atque more Francorum se commendasset, criminationes, ab inimicis allatas, ad tempus quidem repulit⁵⁾; Adalhardum vero non frustra inimici opprimere conati sunt. Etenim quum Ludovicus, postquam imperare coepit, omnia, quae extrema Caroli aetate in im-

2) Vita Adalh., c. 30. l. c. p. 319: „Passus est igitur idem malignorum supercilio et accusatus fraude humanitatis, qui amore justitiae ac veritatis in promptu nil sibi tutum servaverat, nisi se pro ea usque ad mortem modis omnibus tradidisset. Numquam enim timore occuluerat veritatem, numquam mendacium locum habere concesserat, sed miseros objecta veri puritate clementer tegebat, quos praesertim avaritia et crudelis imperitorum vexabat ignavia.“ — Cf. annot. 1: „Unde dolo accensi . . .“ cet.

3) Cf. Funck, Ludwig der Fromme. p. 41 sqq. 241; Phillips, Deutsche Geschichte II. p. 97 et annot. 22; Himly l. c. p. 50 sqq. — Quae res eo fortasse comprobatur, quod Paschasius in vita Adalh. (c. 36. p. 323) ita narrat: Duos archiepiscopos, qui ab Adalhardo, in exilium eunte, digressi essent, imperatori dixisse: „Quid putas imperator? numquid vindicare te cupis hunc virum exhonorando“; item quod Adalhardus anno 814 de Bernardo cum papa egit. vide p. 30 huj. dissert. Cf. Funck l. c. Verum nihil aliud, quod ad Adalhardum attinet, afferi potest; etiam de iis quae ad Walam pertinent, nihil certi statui potest. Cf. Funck l. c. p. 241.

4) Thegan. Vita Hludovici c. 20. (Pertz Mon. Germ. SS. II. p. 595); Phillips l. c. II. p. 92.

5) Cf. Vita Hludovici c. 21. (Pertz l. c. p. 618) Funck l. c. p. 47; Himly l. c. p. 49 sq., 59 sq.

perium irrepserant, mala tollere studeret⁶), eum in Italia officio defuisse, justitiam violasse, hominibus vexatis facultates suas auxisse, criminati esse videntur⁷); tamen palam eum accusare ausus est nemo. Adalhardus quum haec cognovisset, vanas criminationes diluere respuens, innocentiam suam defendere noluit. Ludovicus vero, iudicio non commisso, exsilio eum multavit atque bonis honoribusque privavit⁸). Wala quippe qui Caroli familiares consiliariosque a re publica removeri atque sibi ipsi novas insidias parari intellexisset, mala, quae imperio imminerent, providens et praenuncians, in monasterium Corbeiense se abdere, amicis

6) Vita Hludovici c. 23. (Pertz l. c. p. 619); Thegani Vita Hludov. (Pertz l. c. p. 593); Einhardi Ann. 814 (Pertz SS. I. p. 201.) — Cf. Funck l. c. p. 51; Phillips l. c. II. p. 88 sqq.; Waitz l. c. III. p. 347 sqq.; Himly l. c. p. 65.

7) Vita Adalh. c. 30 l. c. p. 320: „ . . . cogitabant enim inficere bonorum semper et commaculare virtutis famam ob dignitatis ambitionem, praesertim cum eo magis alterius torqueantur gloria, quo nolunt adsequi eam, qua clari nominis honore digni habeantur.“ c. 31. p. 320: „Justus enim aliquando in sua perit justitia, calumniantium fraude perimitur“ . . . cf. annot. 2.

8) Transl. S. Viti c. 6. (Jaffé l. c. p. 8): „Tunc accesserunt ad eum (i. e. Ludovicum) viri dolo iniquitatis pleni et accusaverunt venerabilem Adalhardum et ejecerunt eum de honore suo absque culpa et exsiliaverunt sine causa.“ — Vita Adalh. c. 30. p. 319: „Unde cum caecitas iniquorum dolosius arenearum telas, quam cautius venandi retia texuisset, noluit ante faciem apparere, ne forte pravitate turpitudine justitia relucente fedius monstraretur. Quo factum est, ut sine accusatore, sine congressu, necnon sine audientia atque sine iudicio justitia plecteretur in eo. Qui pulsus praesentibus bonis, dignitate exutus, vulgi existimatione faedatus, ob beneficium reipublicae exsiliium tulit.“ — Nobiles viri iudicio aulae vel in generali conventu Francorum poena praesertim exsilio multabantur. Cf. Waitz l. c. IV. p. 408. Sed tamen etiam solus rex, iudicio non commisso, aliquem condemnare poterat; cf. Waitz l. c. p. 445. Bona ejus, qui exsilio multatus erat, semper fisco addicebantur; Waitz, l. c. p. 439. De poena exsillii cf. Waitz l. c. p. 437 sq.

obstantibus, constituit⁹⁾. Ita illi viri, qui tam diu principes imperii fuerant, a principatu dejecti sunt. Simili modo etiam in eorum fratrem sororemque consultum est. Bernarius enim, qui tunc in monasterio Corbeiensi erat, Lirinum remissus est; Gundradae autem monasterium Pictaviense ad habitandum assignatum. Sola Theodrada, altera soror, in monasterio Suessionensi, cui praeerat, relicta est¹⁰⁾.

Adalhardus igitur, Wala, Gundrada anno 814¹¹⁾ ab aula discesserunt, amicis vehementer querentibus, quod inde ab eo tempore omnes, avaritia et effrenata cupiditate ducti, non rei publicae, sed sibi consulturi essent¹²⁾. Verum Adal-

9) Transl. S. Viti c. 7. (Jaffé p. 9); Vita Walae I. c. 2. l. c. p. 459: „Unde Arsenius (i. e. Wala), cum pulsaretur quorundam insidiis, videns violentorum impudentiam sedes occupare indebitas, quod prius in mente voverat, optatum sibi tempus invenit: et quod callidi dissertorum loca tenerent et infimi notissimos populo atque amicissimos marsa manu prostrarent. Ergo cum tales cerneret adversus sapientes potestate potius agere, esseque superiores et vulgi aestimatione dignissimos, praemonuit multa incommoda multaue naufragia populo praevenire. Tum vero multis contradicentibus . . . relictis omnibus, coenobium petiit.“ Cf. Himly l. c. p. 64 sqq. — Similibus causis permotum, Leidradum, episcopum Lugdunensem, ab aula discessisse, Himly (l. c. p. 66) putat. Is tamen ob alias causas in monasterium se abdidisse videtur. (Cf. ejus epistola in Jafféi Mon. Carol. p. 420 et Jafféi annot. 1.) et quidem non ante d. 11 Novemb. 815; cf. Sickel Acta reg. et imper. Carol. II. p. 310 et p. 103 n. 66.

10) Vita Adalhardi c. 35. p. 322.

11) Adalhardus, postquam per septennium (cf. Vita Adalh. c. 39 et 49. l. c. p. 324 et 325) exsulavit, anno 821 revertit (cf. p. 36); ex quo colligitur, eum anno 814 in exsilium missum esse. Cf. Annales Juvavenses minores ad a. 814 (Pertz Mon. Germ. SS. I. 89): „Walh tonsus est.“

12) Vita Adalh. c. 36. l. c. p. 322 sq. — c. 38. l. c. p. 323: „Pessima caecitas malumque consilium, ut fons consilii exsilio deportetur. Istud, inquiunt, non recuperabitur, neque Francorum quisquam ei (i. e. Adalh.) similis tantusque veritatis invenietur

hardus, unus ex omnibus hilari animo, amicos confirmavit; quin etiam imperatorem, cui hi crimini dabant, quod talem virum in exsilium ejiceret, tuitus est. Ludovicum jam poenituit quidem, eum exsilio multasse, sed pudor prohibuit, quominus jussum irritum faceret¹³).

Collocatus autem est Adalhardus in S. Filiberti monasterio, cui postea nomen fuit Noirmoutiers¹⁴). Situm erat hoc secretum atque a Normannis saepe vexatum¹⁵) monasterium in insula Heri, quae haud procul ab eo loco jacet, quo Ligeris in oceanum influit. Ubi paulo post adeo monachorum amorem sibi conciliavit, ut omnes et ipse abbas Arnulfus¹⁶) ejus consilio uterentur, atque eum abbatis loco observarent¹⁷). Sed dum per septem annos (814—821)¹⁸),

adsertor. Plane, fatemur, pessima fraus et callidus veneni dolus, ecce quam iniquissimum instat tempus, dum justus et boni exonorantur viri et nemo est, qui interdicat. Ecce, ajunt, tollitur pravitas interdictor et quis ultra justitiae locus erit? quae consilii sanitas, praesertim quum omnes sua quaerant. Nemo igitur reipublicae, sed pessime sibi quisque consulit, consilium pro muneribus venditur, sequuntur retributiones, propria lucra considerant.“ — Cf. Himly, l. c. p. 66 sq.

13) Vita Adalh., c. 36, 37, 38. l. c. p. 322 sq.

14) Vita Adalh., c. 32. l. c. p. 320: „Interim vero senex noster (i. e. Adalhardus) mittitur quasi unus ex ignobilibus ad Heri insulam.“ Cf. Vita Hludovici c. 34 (vide annot. 22 p. 36); Mabillon, Acta SS. IV. 1. p. 537. — Monasterium S. Filiberti in numero monasteriorum tertiae classis erat, „quae nec dona nec militiam dare debent, sed solum orationes pro salute imperatoris. . . .“ (Constitutio de servitio monast. a. 817; apud Pertz Mon. Germ. LL. I. p. 224).

15) Mabillon, Acta SS. IV. 1. p. 538; Sickel l. c. II. p. 318; p. 123 n. 134. — Vita Walae II. c. 13. l. c. p. 507.

16) Cf. diploma Ludov. dat. d. 16 Mart. a. 819. (Mabillon l. c.; Sickel l. c.); Mabillon, Annal. II. lib. 28. c. 20. Ed. Luc. p. 384.

17) Vita Adalh. c. 41. l. c. p. 324.

18) Vide annot. 11.

litterarum studio¹⁹⁾ et pietati se tradens, in insula vitam degit quietam, graviter mala imperii maerebat²⁰⁾; et profecto facile cogitari potest, quantopere miserrimum illum Bernardi regis²¹⁾, cujus saluti tantum servierat, interitum doluerit.

Tandem anno 821 Adalhardus in integrum restitutus est²²⁾. Opinari licet, ejus inimicos de vita decessisse sive horum auctoritatem esse fractam, itaque imperatorem, preci-

19) Vide p. 13.

20) Vita Adalh. c. 39, 40, 43. l. c. p. 324 et 325.

21) Anno 817. Cf. Himly l. c. 87 sqq.

22) Vita Adalh., c. 46. l. c. p. 326: „Quo factum est, ut peracto tempore cum summo tandem revocaretur obsequio, ut pristinam reciperet dignitatem, passim omnibus exsultantibus et congratulantibus paene cunctis.“ — Transl. S. Viti c. 10. (Jaffé l. c. p. 10). „Ascendit enim (i. e. divina clementia) in cor regis, ut revocaret venerabilem virum Adalhardum senem et restitueret ei omnem priorem honorem et multo eum amplius, quam unquam antea fuerat, sublimaret.“ — Vita Hludovici c. 34. (Pertz Mon. Germ. SS. II. p. 626): „Adalhardum etiam, abbatem quondam Corbeiae monasterii sed tunc in monasterio sancti Filiberti consistentem, monasterio ac magisterio restituit priori.“ — Einhardi Annal. 821. (Pertz l. c. I. p. 208): „Medio mense Octobrio conventus generalis apud Theodonis villam magna populi Francorum frequentia celebratur, in quo dominus Hlotharius, primogenitus domni imperatoris Hludovici, Irmingardam, Hugonis comitis filiam, solemniter duxit uxorem. . . . Eminuit in hoc placito piissimi imperatoris misericordia singularis, quam ostendit super eos, qui cum Bernhardo nepote suo in Italia contra caput ac regnum suum conjuraverunt, quibus ibi ad praesentiam venire jussis, non solum vitam et membra concessit, verum etiam possessiones iudicio legis in fiscum redactas magna liberalitate restituit. Adalhardum quoque de Aquitania, ubi exulabat, evocatum, Corbeiae monasterio, ut prius fuerat, abbatem ac rectorem esse iussit, cum quo et Bernharium, fratrem ejus, reconciliatum eidem monasterio reddidit; completisque his quae ob regni utilitatem inchoaverat, et sacramento quod apud Noviomagum pars optimatum juraverat generaliter consummato, ipse Aquisgrani revertitur. . . .“

bus amicorum permotum, eum restituisse. Fortasse etiam factio Lothariana, quae plurimum in aula valebat, tunc valde optavit, ut Adalhardus et Wala revocarentur. Nam quum eo anno illam partitionem imperii, anno 817, constitutam, jure jurando nobilium Francorum sanciretur, plurimum interfuerit necesse est, ut imprimis hi clarissimi fratres, qui nobilitate atque auctoritate inter omnes Francos excellere, eam confirmarent²³). Utcunque res se ha-

23) Principes factionis Lotharianae erant Hugo, comes Turonicus, a cujus quasi nutu Lotharius, gener ejus, omnino pendebat et Matfridus, comes Aurelianensis, ejus amicus; (cf. Himly l. c. p. 96). Praecipue vero Matfridus, qui tunc apud imperatorem Ludovicum unus omnium maxime valebat, efficere potuit, ut exsules restituerentur. Nam Modoinus episcopus, qui eo tendebat, ut Theodulfus, episcopus Aurelianensis, cum aliis ob Bernardi conjurationem in exsilium ejectus, revocaretur ante mensem Octobr. 821 haec de Matfrido ad Theodulfum scripsit (Sirmundi opera varia, Venetiis 1728. T. II. p. 833. vers. 671 sqq): „Matfredum crebris appellat epistola dictis // Lectaque sunt vestra verba frequenter ei // Ille valet lapsis optatam adhibere medelam. // Naufragiisque pium ferre patrocium.“ Matfridus autem, quam fuerit potens, etiam ex epistola quadam Agobardi videre licet (ex Agob. opp. I. p. 207 apud Bouquet VI. p. 359): „... Deus ... elegit vos ... ministrum imperatoris et imperii et prae ceteris honorificavit et ditavit ... constituit vos in latere rerum summam regentis ... tanta familiaritas, quam apud dominum imperatorem obtinere vos Deus fecit ...“ In eadem epistola Agobardus scripsit: „quodsi sine periculo dicere nequeo, multi talium putant, vos esse murum inter se et imperatorem, per quem defendantur a correctione“. — Cf. Himly l. c. p. 96; Dümmler, Geschichte des ostfränk. Reichs. | Berlin 1862. I. p. 45 annot. 12. — Hoc insuper valde comprobatur Ludovici diplomatis, in quibus jam ab anno 817 eum „ambasciatorem“ invenimus, qua voce indicatur is, cujus gravissima auctoritate quis diplomata ab imperatore impetravit. Cf. de hac re Sickel, Acta reg. et imp. Karol. I. p. 69. sqq.

Himly (l. c. p. 79 sqq. et 91.) conjicit, eam partem nobilium Francorum, quae imperii divisionem omnino prohibere vellet anno 817, quum constitutum esset, ut Lotharius patre mortuo totum im-

bet, Adalhardus anno 821 revocatus, monachis monasterii insulae Heri maerentibus, in aulam rediit. In itinere ubi-

perium regeret, artissimo vinculo („lien indissoluble“) cum Ludovico esse conjunctam. Eandem deinde, ut victoriam sibi pareret exploratam, elaborasse, ut Adalhardus et Wala, principes („chefs“) factionis, restituerentur. Ejus denique precibus Ludovicum obsecutum anno 821 Adalhardum revocasse. — At mirum videtur, anno 821 demum Ludovicum, virum imbecillo animo atque consiliariis nimis confidentem, adductum esse, ut Adalhardum revocaret, praesertim quum jam inde ab anno 817 Matfridus, quem nobilium Francorum partis fuisse („chef de l'aristocratie militaire“ p. 96) ipse Himly dicit, plurimum apud imperatorem valuerit. Hoc eo magis mirum videtur, quod jam anno 814 Ludovicum poenituit, Adalhardum exsilio multasse (vide p. 35 hujus dissert). Quam ob rem eidem scriptori etiam assentiri non possum, si hoc odio, quod imperator in Adalhardum et Walam habuisset, tribuendum esse censet. (Himly p. 92). — Neque Funckium sequi possum, qui Benedictum, (Witizam), abbatem Anianensem, obstitisse opinatur. (Funck. l. c. p. 71.), nam hanc conjecturam nulla alia re probari putem, nisi quod Benedictus paulo ante, d. 11 Februarii a. 821, mortuus est. (Cf. etiam ipsius Funckii verba p. 241, 6).

Equidem potius putaverim, Ludovicum, temporibus cedentem, Adalhardum in integrum restituisse. Nam illa aetate multum juri jurando tribuebatur quo graviores res a nobilibus Francis sanciri solebant (cf. Waitz l. c. III. p. 258 sqq.); itaque dubitari non potest, quin Lotharii ejusque amicorum plurimum interfuerit, ut partitio imperii etiam a Caroli Magni consobrinis, Adalhardo et Wala, confirmaretur. Conferatur etiam Agobardi „flebilis epistola“ (ex Agob. opp. II. p. 45. apud Bouquet SS. rer. Gall. et Franc. Ed. nov. Paris 1870. VI. p. 368 et Waitz l. c. IV. p. 561 annot. 2) „ . . . ac deinde jurare omnes jussistis, ut talem electionem et divisionem cuncti sequerentur ac servarent. Quod juramentum nemini visum est spernendum aut superfluum, sed potius opportunum et legitimum, eo quod ad pacem et concordiam pertinere videretur“. — Fortasse vero et ii, qui conjurationi Bernardi, regis Italiae, implicati erant, et Adalhardus, qui tam diu Italiam optime administraverat, etiam ea de causa restituti sunt ut voluntas Italarum Lothario conciliare-

que mira exceptus est laetitia; undique homines concurrerunt, ut praeclarum virum viderent eique gratularentur²⁴). Qui quum, corporis macie attenuatus, in regiam venisset, timor coortus est, quomodo imperator pro injuria illata ei satisfaceret; sed Adalhardus, animi magnitudine praececellens, se prorsus memoriam hujus rei deposuisse Ludovico affirmavit²⁵). Postquam in conventu generali, mense Octobri a. 821 in Theodonis villa habito, in abbatis dignitatem restitutus et frater ejus, Bernarius in monasterium Corbeiense remissus est²⁶), flagitantibus monachis, qui anno 813 jussu imperatoris Adalhardi discipulum, minorem Adal-

tur, qui hoc regnum anno 820 accepisse putatur (Funck p. 96 sqq; 250, 3; Muratori Geschichte Ital. ad a. 820. IV. p. 578). Cf. Funck p. 71. —

Quod Matfredus alique viri, qui Lotharianae partis erant, non antea Adalhardo et Walae restituendis studuerunt, planum est, imprimis Matfridum in votis habere non potuisse, ut hi viri pristinam recuperarent auctoritatem, qua sua ipsius auctoritas quodammodo frangeretur necesse esset. Sed anno 821 ipsis temporibus quasi efflagitantibus in aulam revocati sunt.

24) Vita Adalh. c. 47. l. c. p. 326; — c. 46. l. c. p. 326: „Unde laetitiae voces hinc inde ad caelum usque tollebantur. Gratulabantur monachorum coenobia, resultabat jucunditate clerus ecclesiarum, vulgi quoque gaudia ubique ridebant. Factus est autem concursus populi, quasi si in communi omnium festo, caeli praeconio insignis redderetur“.

25) Vita Adalh. c. 48. l. c. p. 326: „longa corporis attenuatus macie tandem pervenit ad palatium ubi suscepto eo ambitiose ab omnibus quaesitum est, quomodo ei celsitudo regia satisfaceret, quia timebant pro tanti viri injuria futurum discrimen incurrere. Tunc beatus senex videns pudore animi talia meditantes, proruit ad medium et verecundam regis mentem blandis delenivit affatibus. Persuasit autem nil eum de hujusmodi facto in animo retinere“

26) Vide annot. 22.

hardum, abbatem elegerant²⁷⁾, eo revertit²⁸⁾. Ubi febrī correptus aliquantisper quievit, sed jam anno insequenti²⁹⁾ in aulam revocatus atque primus Ludovici consiliarius factus est³⁰⁾. Ita in omnes pristinas dignitates restitutus, iterum in re publica administranda totus fuit, imprimis ea, quae per septennium imprudenter atque injuste constituta essent, corrigere studens. Quae quum in senatu imperatoris detexisset, paene omnino rescissa et irrita facta sunt. Adalhardo auctore etiam fratres Ludovici, qui anno 817 tonsi in monasteria quaedam inclusi erant, aliique custodia liberati sunt³¹⁾. Ludovicus autem ejusdem

27) Transl. S. Viti c. 6 (Jaffé l. c. p. 8); Vita Adalh. c. 65. p. 331; cf. Vita Walae I. c. 13. l. c. p. 475. Eo petente Ludovicus d. 29. Jan. a. 815 immunitatem Corbeiae confirmavit. Cf. Sickel. l. c. II. p. 97. L. 46.

28) Vita Adalh. c. 49. l. c. p. 327: „Interea tum eodem cogente principe (i. e. Ludovico) compellitur recipere suum sanctae vitae coenobium flagitantibus filiis suis, ut eum saltem quocumque modo recipere meruissent“.

29) Nam mense Januario anni 822 nondum monasterium reliquisse videtur; cf. p. 46 annot. 1.

30) Transl. S. Viti c. 10 (vide annot. 22); Vita Adalh. c. 50. (vide annot. 31); Vita Adalh. c. 64. l. c. p. 331: „consilium totius patriae“; — Hinemari epistola de ordine palatii c. 12: „Adalhardum senem et sapientem, d. Caroli magni imperatoris propinquum, et monasterii Corbeiae abbatem, inter primos consiliarios primum in adolescentia mea vidi“. Mabillon (Acta SS. IV. 1. p. 307, 5.), Hist. litt. (IV. p. 485.), Himly (l. c. p. 26 annot.) hunc locum referunt ad tempus Caroli Magni. Sed quum Hinemarus anno circiter 806 natus sit (cf. Hist. litt. V. p. 544) verba „in adolescentia mea“ ad Ludovici tempus spectare videntur. Insuper Adalhardus ab anno 811 usque ad Caroli obitum sine ulla fere intermissione in Italia versatus est.

31) Vita Adalh. c. 50. l. c. p. 327: „Sed quum ibidem (i. e. in monasterio) aliquantisper dulciter quievisset iterum ab Augusto gloriosius accersitur, et redit ad palatium; ubi cum introisset, velut quidam ait, virtutum radiis illustratus, quia venit

anni mense Augusto in conventu Attiniacensi se fratres suos, Bernardum regem Italiae, Adalhardum Walamque injuria affecisse professus est atque palam poenas persolvit ³²).

Titan, marcescunt sidera. Apparuit autem ilico nudata insipientia, quae tegebatur pallio caliginis, et factus est stupor nimius, quis senatum populi ad tantam ineptiam deduxisset. Qui comperto non parum eos invidia fuisse delusos, duxerunt in irritum paene quidquid per hoc tempus, ut eis visum est, argumentose tractaverant. Solvitur itaque saeva multorum captivitas, eorum maxime, qui ex regio pollebant semine. Redditur ergo in uno libertas omnibus, quocumque in loco tenerentur, nisi quos vita prius mors privarat. Tum deinde quorundam tonsura propter furoris saevitiam illata transiit ad coronam: et dant Deo sponte, quod dudum inviti, quasi ad ignominiam susceperant. — Verba „Solvitur itaque“ et quae sequuntur spectant ad fratres Ludovici, fortasse etiam ad fratres sororesque Adalhardi; cf. Eckhart. Francia orient. II. p. 168; Mabillon Annal. II. lib. 29. c. 17. Ed. Luc. p. 436. — De Gundrada, Adalhardi sorore, nihil compertum habemus; Theodrada, altera soror, anno 844 etiam tum in vivis fuisse videtur. Cf. Mabillon Annal. II. lib. 33. c. 12. Ed. Luc. p. 609.

32) Einhardi Annal. 822 (Pertz Mon. Germ. SS. I. p. 209) „Domnus imperator consilio cum episcopis et optimatibus suis habito fratribus suis, quos invitos tonderi jussit, reconciliatus est, et tam de hoc facto, quam et de his, quae erga Bernhardum, filium fratris sui Pippini; necnon et de his, quae circa Adalhardum abbatem et fratrem ejus Wahalam gesta sunt, publicam confessionem fecit et poenitentiam egit, quod tamen in eo conventu, quem eodem anno mense Augusto Attiniaci habuit, in praesentia totius populi sui peregit“. — Cf. Vita Hludowici c. 35 (Pertz l. c. II. p. 626). — Vita Adalh. c. 51. l. c. p. 327: „Quid plura? ipse gloriosus imperator publicam ex nonnullis suis reatibus poenitentiam suscipiens, factus est omnium humillimus, qui quasi regali elatione sibi pessimus persuasor fuerat: ut quorum oculi offenderant in delicto, satisfactione regia sanarentur; praesertim quod ejus velle cunctos considerare, ejusque nolle conspicerere manifestum non ambigitur. Sed nisi reversus esset veritatis adsertor (i. e. Adalhardus)

Deinde Wala cum Lothario in Italiam missus est, quem consilio juvaret³³); ubi gravissimas res componens, semel atque iterum versatus est³⁴). Adalhardus vero, quamvis senex assidue omnes curas cogitationesque contulit, ut supra dixi, in patriam. Cujus quum saluti et utilitati prudenter integreque serviret, ab omnibus, quibus res publica cara erat, ita colitur et observatur, ut nomen ejus in ore esset omnium³⁵).

interea minime paruisset, quo lethargico spiritu premerentur. Unde etiam matura senectus caecitas eorum vulnus salubri Christi antidoto mederi persuadendi curabat.“ — Dubito, num jure Baronius (Annales ecclesiast. ad. a. 822), hunc locum et cap. 50 Vitae Adalhardi (vide annot. 31) afferens, conjiciat: (Adalhardus) „postliminio restitutus, ipsum libere monens, ad id (i. e. publicam poenitentiam) agendum provocaverit Imperatorem: qui et ex eo nimio est afflictus dolore, quod in virum sanctissimum adeo enormiter deliquisset. Sed accipe haec a Paschasio“ — Cf. de conventu Attiniacensi: Funck l. c. p. 71 sqq; Himly l. c. p. 91 sqq; Warnkoenig et Guérard, Hist. des Caroling. II. p. 40 sqq; Waitz l. c. IV. p. 563 sqq.

33) Cf. Einhardi Annales 822 (Pertz I. p. 209). Vita Walae lib. I. c. 25 l. c. p. 486.; Himly p. 97 sqq; Funck. l. c. p. 75 sqq.

34) Versatus est ibi ab anno 822 usque ad mensem Junium a. 823 (vide p. 55 annot. 38); item aestate anni 824; nam, antequam Eugenius II. papa electus est (mense Junio a. 824), eum Romae fuisse constat. (Cf. Vita Walae lib. I. c. 28 l. c. p. 488). Num vero postea usque ad aestatem anni 825, ut Funck p. 79 sqq. et Himly p. 99 sqq. contendunt, in Italia fuerit, pro certo habere nolim, quum ex Vita Walae (l. c.) et ex Einhardi Annal. a. 824, 825 (Pertz I. p. 213) nihil effici potest. Certe Himly p. 99 errat, si Walam, qui „in ordinatione (Eugenii) plurimum laborasse dicitur“ (Vita Walae l. c.), cum Lothario anno 824 in Italiam profectum esse contendit, nam Lotharius „post medium Augustum in Italiam profectus est“ (Einhardi Annal. 824 Pertz I. p. 212), Eugenius autem papa jam d. 5. Junii a. 824 consecratus est.

35) Vita Adalh. c. 52 l. c. p. 327: „Ac deinde studuit, ut justitiae virtus et sapientiae suas reciperent sedes, ut unusquisque servaret sibi commissum negotium et sua cuique

Jam in ipso concilio Attiniacensi longe omnibus praestans rerum gerendarum princeps fuit³⁶⁾.

Id praesertim Adalhardus egit, ut omnes negotium

largirentur jura. Porro novitates vocum et temerarias juxta Apostolum praesumptiones velut pestem in omnibus reprimebat Cumque his et hujusmodi praeconiis velut aurum probatum per ignem clarius enitisset, factus est omnibus decuplo honoratior, ita ut ore omnium egregie resonaret. Amplectabatur autem cunctorum manibus et quasi pater ab omnibus colebatur, eratque ecclesiarum magistris velut humilitate filius, consilio vero et prudentia quasi subvector inclitus. Qui cum ita satageret indefessus, ut perfecti omnes et Dei digni invenirentur: videtur demum novus renasci Francorum ordo et aurora justitiae quasi ab ortu surgere. Siluerat enim jam ex parte stratum furoris aequor, et venti ventosi occiderant, ut Virgilius ait, murmuris aurae“ — Cf. „Agobardi archiepiscopi Lugdun. epistola ad proceres palatii de baptismo Judaicorum mancipiorum“ (Bouquet VI. p. 358): „Reverendissimis ac beatissimis domnis et domnis et patribus sanctis Adalhardo, Walae et Helisacharo“ — Hincmar de ordine palatii c. 12: „Adalhardum senem et sapientem“ . . . — Himly l. c. p. 94 sqq.: „Parmi les hommes illustres du parti, Adalhard tenait le premier rang par la vénération universelle qui s'attachait à son grand âge, à ses longs services, à sa haute sainteté“. At nemo non negabit, eundem scriptorem male sentire ita pergentem: „mais il n'était presque plus qu'un nom dont on se glorifiait, et Wala, sur lequel son frère septuagénaire se déchargeait de tout le fardeau des affaires, était à vrai dire le pivot de l'administration“. Haec fortasse de extrema Adalhardi aetate dici potest (cf. infra), nam Wala ante annum 825 perpetuo fere in Italia fuit, Adalhardus vero mortuus est d. 2. Januarii 826.

36) Haec comperimus ex Agobardi „libro de dispensatione rerum ecclesiasticarum“ (Ex Agobardi opp. I. p. 268 apud Bouquet VI. p. 361; Mansi, S. Concil. nov. et ampl. collectio. Venet. 1769-T. XIV. p. 403 sqq.), ubi narratur, Ludovicum omnes proceres monuisse, ut proficerent in litterarum studiis et evitarent negligentiam. Deinde Agobardus pergit: „Hanc igitur rem cum miris tunc laudibus adhuc inchoatam magistri nostri efferrent et praecipue venerandus senex Adalhardus, qui etiam dicebat, se

commissum servarent³⁷⁾, imprimis magistratus aulae; nam ordo imperii in aulae ordine positus esse putabatur³⁸⁾. Qua de causa etiam illum librum „de ordine palatii“³⁹⁾ scripsit, qui, quamquam non integer exstat, sed solum ab Hincmaro, archiepiscopo Remensi, retractatus⁴⁰⁾, tamen gravissimum illius aetatis litterarum monumentum est, ex quo cognosci potest, quo modo Pippini et Caroli aula atque imperium fuerint instituta⁴¹⁾.

numquam sublimius vel gloriosius causam profectus publici moveri et cogitari vidisse a tempore regis Pippini usque ad diem illum; tantum ne respondentium et obedientium negligentia humiliaretur. Addidit ipse et ceteri primores dicentes omni concilio Quum autem Agobardus questus esset „de rebus ecclesiasticis, quas contra vetitum et contra canones tractant et in usus proprios expendunt homines laici . . . responderunt pie reverendissimi viri Adalardus et Helisachar abbates“; „utrum vero“ inquit Agobardus, „audita retulerint domno imperatori, nescio“. — Cf. Annales Bened. II l. 29. c. 17 —Ed. Luc. p. 436; Mansi l. c. p. 406 sqq.; Hefele, Conciliengesch. IV. p. 31 sq.

37) Cf. Vita Adalh. c. 52 (vide annot. 35).

38) Waitz l. c. III. p. 412; p. 462 sq.

39) Libri inscriptio a Marquardo Frehero in „originibus palatinis“ (pars II. c. 1) laudatur, ubi haec: „Is (i. e. Adalhardus) librum composuit (cujus non nisi exiguum fragmentum apud me superesse serio doleo) hoc titulo: ‚Ordo palatii et reipublicae dispositio, qui sub imperatoribus Pippino et Karolo Francorum gerebantur per Adhalardum venerabilem abbatem litteris commendatum ad memoriam et instructionem futurorum‘. (Locus invenitur in Mabilonis Act. SS. IV. 1. p. 372, 5).

40) Cf. Waitz l. c. III. p. 412 annot. 1.

41) Hincmar de ordine palatii c. 12: „Adalhardum senem et sapientem, d. Caroli magni imperatoris propinquum et monasterii Corbeiae abbatem, inter primos consiliarios primum in adolescentia mea vidi. Cujus libellum de ordine palatii legi et scripsi; in quo inter caetera continetur, duabus principaliter divisionibus totius regni statum constare“ — Eckhart (Franc. orient. II. p. 172) jure credit, librum Ludovici aetate compositum esse „quem imperator pro norma semper ante oculos haberet in regni administratione“. —

Praecipue igitur Adalhardi, quem „praesidium totius Europae“⁴²⁾ vocare Paschasius non dubitat, studio atque opera imperium Francorum compositum et in meliorem statum restitutum est, ita ut jure dici possit, tum Ludovici vitae felicissimum tempus fuisse⁴³⁾. Verumtamen brevi postea miserrimum illud intestinum bellum exarsit, quo praeclarum a Carolo conditum imperium omnino dilaceratum est. Adalhardus Lothario epistolam, ad hoc fortasse spectantem, scripsit⁴⁴⁾; sed priusquam bellum inchoatum est, diem obiit supremum⁴⁵⁾.

Cf. Vita Adalh. c. 52 (vide annot. 35). — Cf. de hoc libro Histoire litt. IV. p. 489; Waitz l. c. III. p. 412 et ann. 1; p. 462.

42) Vita Adalh. c. 77. l. c. p. 335.

43) Funck, Ludwig der Fromme p. 96.

44) Vita Adalh. c. 18. l. c. p. 315; „Sed quantus sit, plurimum produnt opera promissionis impleta: et testantur litterae, quas de hac, quae inter homines est tenenda fides, Hlothario imperatori nuper direxit, inter reliqua ita dicens. Quid putas, inquit, o princeps, si fides saepe inter cruores et saevientium arma, etiam inter paganos tantum valuit, ut quisque se committeret alterius fidei sacramentis: quantum valere debeat foedus Christiani in veritate promissorum? non te decipiat aliquis, obsecro, inquit, imperator, quia fides cum contra aliquem violatur non homo sed Deus testis et veritas mea („ea“ corrigit Mabillon in Annal. II. l. 29. c. 78 p. 467) contemnitur“. — Spectatne epistola ad ea quae a Nithardo narrantur? (Pertz SS. II. p. 651 sqq.) Carolo, Ludovici filio, anno 823 nato „Lotharius sacramento testatus est, ut portionem regni, quam vellet, eidem pater daret, tutoremque ac defensorem illius se fore contra omnes inimicos ejus in futuro, jurando firmavit. Instigante autem Hugone . . . ac Mathfrido ceterisque, sero se hoc fecisse poenituit, et quemadmodum illud, quod fecerat annullare posset, quaerebat“.

45) d. 2. Januar. 826.

III.

Corbeia multorum ore jam diu laudata.

Paschasius Radbertus.

Adalhardus, anno 821 monasterii Corbeiensis rector iterum factus, de eo novis legibus et praeceptis instituendo cogitavit. Quam ob rem initio posteriori anni librum „brevem“ sive „breviculum“ confici jussit, e quo monasterii (ut e libro „de ordine palatii“ imperii) institutionem et dispositionem cognoscere licet¹⁾. Neque minus ex ejus „capitulis de ad-

1) Editionem novissimam hujus libri adornavit Guérard, usus libro manu scripto et Acherii editione, in: „Polyptique de l'abbé Irminon . . .“ Paris 1844–45. (T. II. p. 306 sqq). — Liber inscriptus est: „Brevis, quem Adalhardus senex ad Corbeiam regressus, anno incarnationis Domini 822 mense januario, indictione quinta decima, imperii vero gloriosi Chluduvici Augusti octavo fieri jussit.“ — Excerpta inveniuntur in Mabillonis Annal. (II. lib. 29. c. 16. Ed. Luc. p. 435 sq.); ex quibus haec commemorasse satis sit: „Totum monasterium in sex classes divisum erat: prima fratres sive monachos, secunda clericos et scolarios, tertia matricularios et famulos, quarta provendiarios, quinta vasallos, sexta hospites continebat. Monachi omnino trecenti quinquaginta erant. . . .“ Quid quaeque classis agere deberet, sedulo praescripsit. Cf. Histoire litt. IV. p. 488. — Gerardus saeculo XI. de hoc libro scripsit. (Vita Adalh. c. 41. Mabillon, Acta SS. IV. 1. p. 355): „Proinde quam efficax fuerit (Adalhardus) in dispositionibus ordinationis suae, qui nosse voluerit, in libro, qui de his conscriptus est, legere poterit non sine grandi admiratione; ubi etiam perspiciet, quam sapienter a sapiente disposita fuerit domus Corbeiensis ecclesiae.“

monitionibus in congregatione²⁾ elucet, quanta diligentia atque prudentia monasterio prospexerit.

Corbeia in „constitutione de servitio monasteriorum“ anni 817, inter monasteria primae classis numeratur, quae „dona et militiam facere debent“³⁾. Erant enim ibi trecenti quinquaginta monachi⁴⁾, in quibus multi nobili genere nati⁵⁾.

Horum autem omnium voluntates Adalhardus magna clementia et dulci quadam eloquentia sibi conciliavit; severitatem raro in eos adhibuit, quamvis in se ipsum esset acerbe severus⁶⁾. Familiae, quae vocabatur, monasterii et hospitibus quam diligentissime consuluit⁷⁾. Sed quia longum est, omnia ejus modi referre, paucis tantum clarissimi ejus discipuli utar verbis: „Ipse“, inquit Paschasius, „erat,

2) Solae inscriptiones exstant in Mabillonis Act. SS. (IV. 1. p. 757). Mabillon l. c. p. 308 putat, capitula esse „summaria rerum quae monachis suis inter concionandum solebat inculcare.“ Cf. Vita Adalh. c. 72. l. c. p. 334: „Nullum ferme per hebdomadam familiaritatis affectu inallocutum relinquens; nullum quem in die generaliter nisi ex qua impossibilitatis causa non instrueret.“ Cf. Histoire litt. IV. p. 488, 2.

3) Mon. Germ. Leges I. p. 323. — Paschasius praedicat, Adalhardum magna imperatori dedisse munera. Vita Adalh. c. 59. l. c. p. 330: „Porro regi *ex* (ita correxit Pertz SS. II. p. 530 pro *et*) divitibus nostrorum tam largus erat. . . .“ — De donis, quae proceres monasteriaque dare solebant cf. Waitz l. c. IV. p. 90 sqq.

4) Cf. annot. 1.

5) Vita Adalh. c. 35. l. c. p. 322: „At vero Corbeia tunc (i. e. a. 814) multorum ore jam diu laudata . . . meruit suscipere Walam . . . inter reliquos, quos habebat nobiles.“ — In his numerandi sunt Bernarius, frater Adalhardi, Warinus, „ex nobilissimo Francorum atque Saxonum genere ortus“ (Transl. S. Viti c. 12. Jaffé l. c. p. 12), Authbertus „nobilis prosapiae in saeculo“ (Vita Anskarii c. 7. Mon. Germ. SS. II. p. 695); cf. etiam infra.

6) Vita Adalh. c. 54, 59, 63, 64, 71. l. c. p. 328 sqq.

7) Vita Adalh. c. 59. l. c. 330.

quem in totum ex omnibus solum abbatem reperi, ipse ex universis, quem alterius plus, quam sua quaerentem inveni⁸⁾. — Adalhardus et ipse litterarum gnarus et amicitia cum doctis viris conjunctus, etiam in monasterio litteris valde favit⁹⁾. Libris undique collatis bibliothecam augere studuit¹⁰⁾. Quantum vero scholae Corbeiensi consuluerit, viri, in hac schola eruditi, optime ostendunt. In quibus imprimis praedicandus est Paschasius Radbertus¹¹⁾, jam saepe nominatus. Qui vir, veterum scriptorum perquam gnarus, inter doctos aequales singulari doctrina eminebat. Non minus autem clarus fuit ejus discipulus, S. Anskarius; Witmarus quoque, Warinus, Hildemannus in iis numerandi

8) Vita Adalh. c. 82. l. c. p. 338. — Cf. Mabillon, Annales II. lib. 29. c. 40. Ed. Luc. p. 447 sq.

9) Vita Adalh. c. 61. l. c. p. 330 sq.: „Deinceps igitur arte, qua fuerit eruditus, patet, quia fecundus inventus est eruditionis consilio. Prudentiae namque, ut dicitur, mille oculis ad inspector, virtutum quoque dissertissimus disputator, liberalium artium adeo usque sanctissimus institutor, ut probares in eo illud beati Antonii, quod sensus adinvenerit artem, et qui sensu sit integer, eum arte non indigere.“ — Cf. Transl. S. Viti c. 5., Jaffé l. c. p. 7. — De schola Corbeiensi cf. Hist. litt. IV. p. 15 et p. 231.

10) A paulo Warnefrido, ut dixi, S. Gregorii epistolas petierat (vide p. 12) atque, quum exsulabat, Cassiodori historiam transcribendam curavit (vide p. 13 et annot 28). — Multis vero aliis optimorum scriptorum libris bibliothecam instructam fuisse, nemo qui Paschasio scripta inspexerit, negabit. In Vita Adalhardi et Walae Paschasius locos affert ex scriptis Terentii, Virgilii, Horatii, Ciceronis; etiam Platonis mentionem facit.

11) Exeunte saeculo octavo natus, Suessionibus primis litterarum elementis imbutus et deinde ab Adalhardo, quem suum magistrum passim appellat, in numerum monachorum Corbeiensium ascitus est. Anno 844 abbas Corbeiae electus, anno circ. 865 mortem obiit. Cf. de ejus vita et scriptis Histoire litt. V. p. 287 sqq.; Mabillon, Annal. II. lib. 27. c. 35. Ed. Luc. p. 346.

sunt¹²⁾. Ibidem etiam complures viri litteris instituti sunt, qui et religionem Christianam et litterarum studium in septentrionalibus Europae regionibus disseminaverunt¹³⁾. Jam eodem anno, quo Adalhardus mortem obierat (826), Anskarius¹⁴⁾ cum Autberto¹⁵⁾ in Daniam et post nonnullos annos cum Witmaro¹⁶⁾ in Suecorum fines profectus est.

Verumtamen splendor Corbeiae mire auctus est splendore filiae, Corbeiae Saxonicae. Etenim Carolus Magnus,

12) De his viris cf. infra.

13) Cf. Hist. litt. IV. p. 231 sq.

14) Vita Anskarii c. 7, 8, 9, 10. (Mon. Germ. SS. II. p. 694 sqq.) — In Vita Anskarii (c. 25. l. c. p. 710 sq.) inter alia narratur, Anskario Adalhardum mortuum apparuisse, ut animum ejus confirmaret ad disseminandam christianam doctrinam in illis regionibus. — De S. Anskario cf. Hist. litt. V. p. 277—283; Wattenbach, Geschichtsquellen p. 167; Tappehorn, Leben des hl. Ansgar, Münster 1863. — Hoc loco monere velim, ne fides tribuatur iis, quae Dahlmann ex falso chronico Corbeiensi in annotationibus ad Vitam Anskarii affert.

15) Autbertus fuit monachus antiquae Corbeiae, quod ex c. 7. Vitae Anskarii (l. c. p. 695) apparet, — et non novae Corbeiae, ut falsum chronicon Corbeiense ad a. 830 in Wedekindii libro: „Noten zu einigen Geschichtsschreibern des Mittelalters“ Hamburg 1823 I. p. 380) narrat. Cf. Hirsch und Waitz „Kritische Prüfung des Chronicon Corbeiense in Jahrbücher des deutschen Reichs herausgegeben von Leop. Ranke III. 1. Berlin 1839. p. 17. Etiam Dümmler (Geschichte des ostfränkischen Reichs. I. p. 261) falso eum monachum novae Corbeiae fuisse dicit. Sane Autbertus, postquam infirmus in patriam reductus est, in nova Corbeia mortuus est; cf. Vita Anskarii c. 8. (l. c. p. 696).

16) Witmarus quoque monachus antiquae Corbeiae fuit; cf. Vita Anskarii c. 5. l. c. p. 693. Sed in chronico Corbeiensi non expressis verbis, ut Dahlmann (l. c. p. 693 annot. 8) et Hirsch et Waitz (l. c. p. 21) putant, scriptum est, eum novae Corbeiae monachum fuisse; tantum confrater noster vocatur; verbis autem confratres nostri idem chronicon ad a. 826 l. c. p. 379 significat monachos antiquae Corbeiae.

quum in Saxonia monasteria condere vellet, Saxonum obsides captivosque in Franciae monasteriis doctrina Christiana atque monastica disciplina instiduos curaverat¹⁷). Ita etiam in Corbeiensi monasterio, quia Adalhardo abbate hoc laudabili disciplina exellebat, multi eorum collocati erant¹⁸). Adalhardus autem fortasse jam Caroli aetate in Saxonia monasterium condidisset, nisi ei Pippino mortuo Italia administranda mandata esset¹⁹). Sed eo exsulante Wala, Saxonica matre natus, quum nonnulli Saxones, tunc in mo-

17) Transl. S. Viti c. 5. Jaffé l. c. p. 6.

18) Transl. S. Viti c. 5. Jaffé l. c. p. 7: „Denique quia in Corbeia monasterio laudabilis eo tempore religio monachorum habebatur, multos inibi ejusmodi viros fore constituit.“ — Hos obsides captivosque anno 780 in monasterium Corbeense missos esse conjiciunt Abel (Karl der Grosse I. p. 297) et Erhard (Regesta historiae Westfaliae, Münster 1847 I. p. 68 n. 166).

19) Transl. S. Viti c. 5., Jaffé l. c. p. 7; „Hic (Adalhardus) cum esset . . . consiliarius regis . . . voluntas suprascripti regis ei abscondi minime potuit. Sed quia non erat inferior illo devotione, regressus ad monasterium, ab eis, qui ibidem erant e gente Saxonica, sciscitari coepit, si possit illa in patria inveniri locus, ubi monachorum monasterium construi rationabiliter posset.“ Deinde narratur, Adalhardum a propinquis Theodradi Saxonis locum accepisse; c. 6. l. c. p. 7. „Sed jam dicto abbati illo in tempore commissa erat cura maxima, videlicet ut regnum Longobardorum gubernare deberet, donec filius Pippini, Bernhardus nomine cresceret“; (cf. p. 26 annot. 61 Cf. Erhard, l. c. p. 90 n. 273. — Attamen Paschasius de his rebus nihil dicit, sed Walam primum consilium monasterii condendi cepisse affirmat. Vita Walae lib I. c. 13. et 16. l. c. p. 475 et 477; cf. Vita Adalh. c. 65. l. c. p. 331. Cf. Mabilon, Annales II. lib. 27. c. 73; lib. 28. c. 31; lib. 29. c. 20. Ed. Luc p. 362, 389, 437. De iis, quae chronicon Corbeense refert cf. Hirsch und Waitz, Kritische Prüfung des Chronicon Corbei. p. 6—8. — De chronico Corbei. cf. Wigand, die Corveyschen Geschichtsquellen Leipzig 1841, p. 103 sqq; qui etiam „annales antiquos Corbeiae Saxonicae“ a Paullinio editos falsos esse, probare studet. (Wigand l. c. p. 41 sqq.) — Cf. Wilmans Kaiserurkunden I. p. 279 annot. 2.

nasterio Corbeiensi degentes, locum, quo coenobium conderetur, tradidissent, abbatem, Adalhardum minorem, ad hoc consilium exsequendum concitavit. Qui, quum imperator in conventu, Paderbornae mense Julio a. 815 habito, consilium probasset ²⁰⁾, loco, in saltu Sollingae sito, qui vocabatur Hethi ²¹⁾, parvum monasterium condidit ²²⁾; sed hunc locum, quia erat aridus, monachi, mox inopia pressi, post sex annos omnes relinquere cogitaverunt. Eodem fere tempore Adalhardus in integrum restitutus est. Qui, eorum inopiae opitulatus, ab imperatore aptum locum petivit ²³⁾. Ludovicus igitur, quum Adalhardus et Wala locum amoenissimum fertilemque, ad Visurgim in pago Auguensi ²⁴⁾ situm, villam Huxori, delegissent atque consilium iniissent cum episcopis, comitibus, nobilissimisque viris gentis Saxonicae,

20) Ludovicus „eodem die“, quo consilium probavit, „remisit abbati omne servitium, quod ad se pertinebat, ut liberius sanctum opus implere quivisset.“ (Transl. S. Viti c. 8. Jaffé l. c. p. 9). De „servitio“ cf. Waitz D. Verf.-Gesch. IV. p. 10 et annot. 2. Num hac voce etiam vacatio militiae comprehendatur, Waitz l. c. IV. p. 508 annot. 2. in dubitationem vocat, sed Roth et Wilmans argumentis probant. Cf. Wilmans, Kaiserurkunden I. p. 187 sq. — Diploma, quod de hac re datum esse verisimile est, intercidit, cf. Sickel, Acta Carol. II. 364, p. 347 L. 317; Wilmans l. c.

21) Hethi = Haide. Locus nunc Neuhaus vocatur; cf. Wigand, Geschichte der Reichsabtei Corvey Höxter 1819. I. p. 68 et tabula pagi Auguensis in: Wigand, der Corveysche Güterbesitz, Lemgo 1831. — Donaverant hunc locum parentes Theodradi; ut saltem ex Transl. S. Viti c. 5—8. (Jaffé 7—9) elucere videtur. Cf. Wilmans l. c. p. 284 ann. 1.

22) Transl. S. Viti c. 8. Jaffé l. c. p. 9. Vita Walae I. c. 13. p. 475; Vita Adalh. c. 65. p. 331 cf. Erhard l. c. p. 94 n. 307. — Praepositus erat monasterio Adalbertus; Transl. S. Viti c. 9. Jaffé l. c. p. 10.

23) Transl. S. Viti c. 8—10, Jaffé l. c. p. 9 sq. Vita Adalh. c. 65. l. c. p. 331 sq.

24) De pago Auguensi cf. Wigand Corv. Güterbes. p. 181 sqq.

a Bernardo ²⁵⁾, comite Saxonico, Wala intercedente, qui ab ineunte aetate illi erat familiarissimus, villam et totam „marcam“ Huxori ²⁶⁾ emit ²⁷⁾. Deinde fratres die 6. mensis Augusti 822 locum mensi sunt et, ubi templum ceteraque aedificia exstruerentur, statuerunt ²⁸⁾. Eodem fere tempore monacharum quoque coenobii prima fundamenta jecerunt eo loco, qui nunc Herford vocatur ²⁹⁾, in quo instituendo monaste-

25) Virum, cujus Paschasius in Vita Walae (I. c. 16. l. c. p. 477) mentionem facit non patrem Theodrade (cf. ann. 21.) ut Mabillon (Acta SS. IV. 1. p. 477 annot. a.) opinatur, sed Bernardum, nobilissimum Saxoniae comitem fuisse Wilmans l. c. p. 284 annot. 1. et p. 464 sq. demonstrat. — Hunc autem Bernardum eundem esse crediderim, atque illum, qui anno 811 una cum Wala et decem aliis primoribus pacem cum Danis fecit. Cf. Einhardi Ann. ad a. 811; Pertz SS. I. p. 198.

26) Huxori sive Huxere, nunc Höxter. — De villa et „marca“ Huxori cf. Fundatio Corbei. monast.“ apud Wilmans l. c. p. 507 sq; cf. etiam l. c. p. 509 et Wigand, Corvey'che Güterbesitz p. 3 sqq.

27) Vita Adal. c. 65. sqq. l. c. p. 332; Transl. S. Viti c. 10; Jaffé p. 10; Vita Walae I. c. 16. l. c. p. 477 sq. — „Marcam“ Huxori Ludovicum a Bernardo emisse, apparet ex litterarum monumento quodam, certe ante saec. XI. confecto: „Fundatio Corbeiensis monasterii“, quod primus Wilmans l. c. p. 507 sq. divulgavit. Ex hoc fonte hausit is, qui „catalogum donatorum Corbeiensium“ conscripsit, ubi idem traditur. (Wilmans l. c. p. 509).

28) Transl. S. Viti c. 11. Jaffé l. c. p. 11; Vita Walae I. c. 15. l. c. p. 477. — vide annot. 33.

29) Vita Walae I. c. 12 et 15; l. c. p. 475 sq. — c. 12. p. 475: „Hinc est quod in Saxonia utriusque sexus a fundamento coenobia Deo favente construxerunt.“ Transl. S. Pussiniae (Pertz SS. II. p. 681). „Fundata igitur duo nobilissima coenobia sunt tempore augustae memoriae Ludovici imperatoris, quorum unum nominatur Corbeia, alterum Heriford vocatur. Quorum aedificatio a reverendissimis viris et summa laude celebrandis, Adalhardo videlicet ejusque fratre Wala instituta est.“ — In vita Waltgeri monasterium Herfordense jam antea a Waltgero conditum esse narratur; (cf. Erhardi Regesta p. 92 n. 289); Erhard l. c. p. 94. n. 314, hac re ductus monasterium ab Adalhardo et Wala non exstructum sed instructum esse dicit. At Wilmans, qui de his rebus ubertim

rium Suessionense, cui Theodrada soror praeerat³⁰), iis norma fuit³¹). Redientes vero, ut conventui Attiniaci mense Augusto a. 822 habito interessent, Baduradum episcopum Paderbornensem³²) rogaverunt, ut locum consecraret³³).

disserit, Walam et Waltgerum eosdem esse explanare studet. (Cf. Wilmans l. c. p. 278 sq). — Arnulfus rex in diplomate d. 11. m. Decembr. a. 887 dat. (Wilmans l. c. p. 210) dicit: „Ludovicus . . . haec duo (Corbeia et Herfordia) ad perpetuam tam ipsius, quam universae . . . gloriosissimae prosapiae suae elemosinam construi et ordinari praecepit.“ Cf. Wilmans p. 306.

30) Vita Adalh. c. 33. p. 321.

31) Cf. diploma regis Ludovici d. 22. Maii a. 853 dat.; Wilmans l. c. p. 120, cf. l. c. p. 289.

32) Cf. Catalogus abbatum et fratrum Corbei.“ (Jaffé, Mon. Corbei. p. 66) et annot. 33.

33) Transl. S. Viti c. 11. Jaffé l. c. p. 11: „Venerunt ergo (Adalh. et Wala) anno octingentesimo vicesimo secundo dominicae incarnationis, sub die octavo Idus Augusti, regnante Ludovico serenissimo augusto undecimo (nono legendum est), ad locum memoratum, circumspectoque ex omni parte et undique circuientes, prostrati in orationem, decantaverunt psalmos ad hoc officium pertinentes. Et postquam compleverunt letaniam et orationem, jactaverunt lineam et infexerunt paxillos et coeperunt mensurare, prius quidem templum, inde habitationes fratrum. Quod cum peregissent, constituentes, qui quaedam habitacula initiarent, ad propria sunt reversi. Sed primum petierunt episcopum, ut veniret et sanctificaret locum vexillumque sanctae crucis in loco altaris poneret nomenque, ut Corbeia vocaretur, aptaret. Quod factum esse octavo Kalendas Septembres constat. Et eadem die coeperunt, qui aderant aedificia erigere“. — Haec verba magnam habere difficultatem, scriptores censent. Constat enim, conventui Attiniacensi, quem mense Augusto habitum esse annales referunt (Annal. Einh. 822. vide p. 41 annot. 32), Adalhardum interfuisse (cf. p. 43 annot. 36), et Walam, conventu habito, in Italiam cum Lothario profectum esse (cf. Einhardi Ann. 822 Pertz Mon. Germ. SS. I. p. 209, vide p. 42 annot. 33). Quodsi Adalhardus et Wala a die 6 mensis Augusti usque ad d. 25 ejusdem mensis in Saxonia erant, ut ex verbis laudatis efficitur, eodem mense conventui Attiniacensi non

Quod quum die 25 mensis Augusti factum esset, monachi monasterii Hethi aedificare coeperunt. Deinde, die 25 mensis Septembris priore sede relicta, postero die in novum monasterium, cui nomen inditum est Corbeia³⁴), immigra-verunt³⁵). Anno insequenti, die 27 mensis Julii, imperator

interfuerunt. Qua de causa Mabillon (Annal. O. Bened. Ed. Luc. II lib. 29. c. 22. p. 438) putat, annales in eo errasse, quod mense Augusto conventum habitum esse referrent. Leibniz (Annales Brunsvicensis I. p. 337 sqq.) propter has difficultates monasterium jam mense Augusto anni 821 conditum esse censet; sed haec sententia, ut alia omittam, non solum Translatione S. Viti, sed etiam annalibus Corbei. (Jaffé Mon. Corb. p. 33, ubi haec: „822 inchoatio novae Corbeiae monasterii“) et catalago abbatum et fratrum Corb. (Jaffé l. c. p. 66) refutatur. Eckhart vero ita rem explicare vult (Franc. orient. II. p. 174): „Cum conventus Attiniacensis mense Augusto habitus esse dicitur, statuendum est, eum incoepisse statim post Julii mensis Idus — Kalendae enim mensi sequenti, si is simpliciter nominaretur, computabantur — et Adalhardum rebus praecipue ibi pertractatis, in Saxoniam festinum abiisse . . .“

Verumtamen equidem non intelligo, locum tantam habere difficultatem.

Adalhardus et Wala primum fortasse eo loco, quo monasterium Herfordense constructum est, deinde die 6 mensis Augusti in villa Huxori res disposuerunt. His peractis, statim, ut plane ex verbis Translationis S. Viti elucet, in Franciam redierunt. Sane non accurate scriptor addit: „sed primum petierunt episcopum, ut veniret“ cet.; sed his verbis mea quidem sententia, tantum exprimere vult, Adalhardum et Walam, Attiniacum proficiscentes, Paderbornam ingressos esse ibique ab episcopo petiisse, ut locum consecraret. Per reliquum vero mensis Augusti tempus non in Saxonia fuerunt sed in conventu Attiniacensi, quem non ante diem 14 mensis Augusti habitum esse Sickel explanat, id quod optime cum nostra sententia congruit. (Cf. Sickel Acta Karolin. I p. 268 annot. 3; p. 277 annot. 4. II. p. 138 L. 181—185).

34) Vita Adalh. c. 67. l. c. p. 332. „Quem locum beatus pater (Adalhardus) Corbeiam alterius de nomine vocitavit . . .“ — Hodie: Corvey.

35) Transl. S. Viti c. 11, Jaffé l. c. p. 11; cf. Catalogus abbatum et fratrum Corb., Jaffé l. c. p. 66.

Ludovicus monasterio villam Huxori omnesque res, a Saxonibus et antiquae³⁶⁾ et novae Corbeiae donatas, tradidit atque jus elegendi abbatis concessit³⁷⁾. Petente Adalhardo eodem die etiam immunitatem dedit monasteriumque in fidem recepit³⁸⁾. Hoc anno Adalhardus cum compluribus monachis novam Corbeiam invisit et monachos praeceptis

36) Cf. Vita Walae I. c. 14 et 19 l. c. p. 476 et 480.

37) Diploma Ludovici, datum Ingelhemii die 27 m. Julii 823 (non die 8 Augusti cf. Wilmans l. c. p. 21 sqq.); Wilmans l. c. p. 18—21.

38) Diploma Ludovici, dat. Ingelhemii (Wilmans l. c. p. 22—24); cf. Transl. S. Viti c. 12. Jaffé l. c. p. 11. „Cum autem appropinquare cerneret (i. e. Adalhardus) diem mortis suae, misit venerabilem virum Walonem ad palatium, ut talem libertatem et tuitionem ex parte domni imperatoris loci illius habitatoribus impetraret, qualem cetera quoque sublimia monasteria per Franciam habebant. Quod ille fideliter egit et domnus imperator benigne concessit“. — Ex his verbis apparet, diploma a Wala esse impetratum (cf. Sickel l. c. I. p. 70 annot. 10; II. p. 326; Wilmans l. c. I. p. 25), unde Walam cum Lothario mense Julio a. 823 ex Italia rediisse efficitur (cf. p. 42. Einhardi Ann. 823, Mon. Germ. SS. I. p. 210). Quem Walae cum Lothario reditum etiam Mabillon (Annal. II lib. 29. c. 48. Ed. Luc. p. 452) et Himly l. c. p. 98 statuunt, Funck contra l. c. p. 78. Walam in Italia remansisse arbitratur. — Mirum est, quod scriptor refert, Adalhardum Walam ad imperatorem misisse „cum . . . appropinquare cerneret diem mortis suae“, nam Adalhardum d. 2. Januar. 826 mortuum esse constat. Fortasse scriptor hoc diploma confundit cum illo, quod Adalhardo petente, paulo ante ejus obitum, mense Decembr. 825 monasterio Corbeiae antiquae datum est (vide p. 58.) — De duobus diplomatis Caroli Magni, a Paullinio in historia Corbei. divulgatis, in quibus Carolus Corbeiam construi jubet eandemque in fidem recipit, conferatur Wilmans l. c. p. 80, qui exponit, haec esse diplomata Ludovici, Germanorum regis (apud Wilmans l. c. p. 72 sqq. et p. 77 sqq.) sed a Paullinio, quum, errore inductus, ea imperatoris Ludovici diplomata esse putaret, interpolata; Wigandum igitur (Corv. Geschichtsquellen p. 106 sqq.) injuria contendere, falsa diplomata in monasterio Corbeiensi esse confecta.

monitisque instruxit³⁹⁾ posteaque saepius rediens magno gaudio affectus est, quod monasterium ubi nobilissimi Saxones monachi facti essent, jam tum eximie floreret⁴⁰⁾.

39) Transl. S. Viti c. 11, Jaffé l. c. p. 11; Vita Adalh. c. 68. l. c. p. 332 sqq; Vita Walae lib. I. c. 18 et 19. l. c. p. 480.

40) Vita Adalh. c. 69. p. 333; cf. Vita Walae I. c. 18 l. c. p. 480. — Jam in monasterio Hethi numerus monachorum nobilissimis Saxonibus auctus erat (cf. Transl. S. Viti c. 8, Jaffé l. c. p. 10) Nomina eorum, qui post monasterium conditum Adalhardo abbate in numerum monachorum novae Corbeiae asciti sunt, traduntur in catalogo abbatum et fratrum Corb. (Jaffé l. c. p. 67.), ubi haec: „Constructor primus loci nostri sanctus Adalhardus abbas annis quatuor. Hrodradus, Werinhardus, Aldricus, Magnerus, Eiloldus, Bernewardus, Sigericus, Hramwardus, Wahala“. Sed plures monachos Adalhardo abbate ibi fuisse, apertum est; nam et monachos monasterii Hethi in Corbeiam immigrasse (vide p. 54. annot. 35) et nonnullos e Francia missos esse constat. Cf. „Fundatio Corbei. monasterii“ (Wilmans l. c. p. 508): „Qui (Ludovicus) vocatis de Gallia monachis religiosis commendavit . . .“; Vita Anskarii cap. 6 (vide annot 42). — Wahalam, qui in Corbeiae monachis nominatur, fratrem Adalhardi esse, Mabillon (Acta IV. 1. p. 473 ann. a.) opinatur; Wilmans vero l. c. p. 76 „praepositum Walam“, qui in diplomate Ludovici regis, d. 10. m. Decembr. 840 dato, (Wilmans l. c. p. 72) nominatur, eundem esse atque illum Wahalam putat. Praepositus autem Wala et is Wala, qui Warino abbate in monasterium receptus est, iidem esse possunt. — Noli confidere chronico Huxariensi“ (in libro Chr. Franc. Paullinii: Rerum et antiquitatum Germ. syntagma, Francof. 1698, p. 26.) in quo unus et viginti monachi Corbeienses enumerantur, quum hic libellus falsus esse putetur; (cf. Wigand Corveysche Geschichtsquellen p. 109, ann. 1; p. 79. sqq.; Wattenbach, Geschichtsq. p. 536.) Usus est hoc chronico Mabillon in Annal. Bened. II. lib. 29. c. 42 Ed. Luc. p. 448. — Wigand (Gesch. der Reichsabtei Corvey I. p. 172 sqq.), Paullinii ut videtur, auctoritate nisus, multos clarissimos enumerat viros, ut Rhabanum Maurum, Paschasium Radbertum, Witmarum (vide annot. 16), quos falso monachos novae Corbeiae fuisse dicit.

Scholae, in monasterio Hethi jam institutae⁴¹⁾ primus S. Anskarius praefuit⁴²⁾, qui tamen prius quam in Daniam profectus est, in antiquam Corbeiam revertisse videtur⁴³⁾.

Adalhardus, utriusque Corbeiae, et Francicae et Saxonicae, abbas fuit⁴⁴⁾, quamquam plurimum in illa moratum esse verisimile est⁴⁵⁾. Extrema vero aetate munere

41) Transl. S. Viti c. 8, Jaffé l. c. p. 10: „pueri quoque bonae indolis nutriebantur optime“. Sane ex his verbis non sine ulla dubitatione colligi potest, jam in monasterio Hethi scholam fuisse,

42) Vita Anskarii c. 6. (Mon. Germ. SS. II. p. 694): „Ad hunc ergo locum (i. e. novam Corbeiam) Dei famulus (i. e. Anskarius) una cum aliis fratribus vestris (i. e. antiquae Corbeiae) primo directus est, ut inibi officio fungeretur docendi. In qua re ipse per omnia tam probabilis et acceptus inventus est, ut omnium electione publice quoque in ecclesia verbum Dei populis praedicaret. Sicque factum est, ut ejusdem loci ipse primus et magister scolae et doctor fieret populi“. Cf. Erhard l. c. p. 94. n. 313.

43) Vita Anskarii c. 7., l. c. p. 694; cf. Dahlmanni annot. 12; Mabillon Ann. II. l. 29. c. 79 Ed. Luc. p. 467.

44) Cf. diplomata Ludovici, Wilmans l. c. p. 18 sqq., p. 23, p. 26; Catalogus Jaffé l. c. p. 67: „Constructor primus loci nostri sanctus Adalhardus abbas annis quatuor; Vita Walae I. c. 14 l. c. p. 476: (Wala) „cum patre (i. e. Adalhardo majore) curam monasterii (i. e. antiquae Corbeiae) gerens“; Vita Adalh. c. 69 (vide annot. 45) — Wigand (Gesch. der Reichsabtei Corvey I. p. 45) falso minorem Adalhardum antiquae Corbeiae abbatem fuisse contendit; cf. tamen Wigand, Corv. Geschichtsq. p. 104. Sane Adalhardus minor abbatis nomen fortasse retinuit; in indice enim abbatum Corbeiae antiquae (apud Guérard, Polyptique de l'abbé Irminon II. p. 338) legimus:

„Adalhardus senior abbas IV nonas januarii

Item Adalhardus abbas idibus julii

Wala abbas II idus septembris“ . . . (i. e. mortem obiit).

Quem indicem eundem esse puto, atque illum, quem Mabillon (Acta IV. 1. p. 455 n. 7.) „vetustissimum indicem ab annis fere septingentis ordinatum“ vocat.

45) Adalhardum majorem saepe etiam in nova Corbeia fuisse apparet ex cap. 69 Vitae Adalh., l. c. p. 333: „ad nos (i. e. mona-

abbatis se abdicare in animo habuit, sed monachis petentibus retinuit⁴⁶⁾. Adjutore tamen usus est fratre Wala, qui, intima caritate cum eo conjunctus, quasi firmamentum ejus senectutis erat⁴⁷⁾. Vitae autem exitum appropinquare intelligens, a Ludovico et Lothario, ut Corbeiae antiquae immunitas jusque eligendi abbatis confirmaretur petivit atque impetravit⁴⁸⁾. Deinde, quum providisset, ut monachi novae Corbeiae abbatem eligerent⁴⁹⁾, die 22. m. Decembris a. 825, more suo media nocte in templo ad Deum preces fundens, in febrim incidit⁵⁰⁾ et die 2. m. Januarii a. 826⁵¹⁾ obiit.

chos antiquae Corbeiae) nonnumquam rediens (ex nova Corbeia) . . . Nos quidem rigans ac pascens caelesti pabulo, illos plantans in Christo ac propagans“ — Nimirum in falso chronico Corbei. (ad. ann. 825 l. c. p. 377) usque ad mortem fere Adalhardus in nova Corbeia degisse dicitur: „Abbas vero noster se ad mortem praeparare volens, cum omnium fletu abiit ad matrem nostram“ (i. e. antiquam Corbeiam); quod jam Hirsch et Waitz (Kritische Prüfung des Chronic. Corbei. p. 8 et p. 10) refellerunt. Cf. etiam Wigand, Corv. Geschichtsq. p. 115.

46) Vita Adalh. c. 53. p. 328. cf. Mabillon, Annal. II l. 29. c. 40. Ed. Luc. p. 447.

47) Vita Walae lib. I. c. 12 et 14 l. c. p. 474 et 476; cf. Himly l. c. p. 24.

48) Bouquet VI. p. 547. n. 136; Sickel l. c. II. p. 155. L. 237. — Diploma datum est anno Ludovici 12, anno Lotharii 6, mense Decembri a. 825. Cf. Sickel l. c. p. 332. L. 237, qui eodem mense aliud diploma, quum Adalhardus res quasdam cum imperatore mutavisset, datum esse ostendit. Sickel l. c. p. 155. L. 238; Bouquet VI. p. 645.

49) Transl. S. Viti c. 12, Jaffé l. c. p. 12.

50) Vita Adalh. c. 78. l. c. p. 336.

51) Vita Adalh. c. 81 et 82. l. c. p. 337. Cf. Mabillonis annotatio a. ad hunc locum ubi citantur: Chronicon Corbeiense (= Catalogus fratrum et abbatum Corbeiensium Jaffé l. c. p. 67, vide annot. 44.); Chronicum Saxonicum (apud Bouquet Script. rer. Gall. et Franc. T. IV. p. 220; Mon. Germ. SS. VI. p. 573.), ubi Adalhardus anno 825 decessisse dicitur; sed hoc loco anni compu-

Hildemannus episcopus Belvacensis, antea monachus Corbeiensis, Adalhardi autem opera ad episcopi munus evectus, moribundo praesto fuit mortuumque condidit⁵²⁾.

In sepulcro, quod erat in basilica S. Petri Corbeiae antiquae, insculpti erant hi versus⁵³⁾:

„Hic jacet eximius meritis venerabilis Abba,

Noster Adalhardus dignus honore senex.

Regia prosapies, paradisi jure colonus:

Vir caritate probus, moribus atque fide.

Quem dum sub tumulo recolis tu quisque viator,

Cerne quid es, quid eris, mors quia cuncta rapit.

Nam post octavas Domini hic carne solutus,

Succedente die astra petivit ovans“.

tari videntur a paschate. (Cf. Mabillon l. c. et Bouquet l. c. annot. b.). Cf. Index abbatum Corbeiae antiquae (Guérard Polyptique de l'abbé Irminon II. p. 338): „Adalhardus senior abbas IV nonas januarii“ Falsum Chronicon Corbeicense narrat, Adalhardum die 4. m. Januar. 826 mortuum esse; vide Hirsch et Waitz, Kritische Prüfung des Chronicon Corbei. p. 9 et 11.

52) Vita Adalh. c. 79 sqq.; l. c. 336 sq.; cf. Mabillon, Acta IV. 1. p. 597.

53) Vita Adalh. c. 87. 88. l. c. p. 340; cf. Mabillonis annot. a et b.

S. Adalhardi corpus elevatum est anno 1025. (Gerardus in „libro miraculorum“ c. 5., Mabillon Acta IV. 1. p. 363. et ann. a.); postea in Flandriam asportatum, quum Adela comitissa retinere vellet, clam in Corbeiam antiquam reportatum est. (Scriptor seculi XII in „libro secundo miraculorum“, Mabillon l. c. p. 365 sqq.). Cf. Wattenbach, l. c. p. 365.

Brachium S. Adalhardi in nova Corbeia asservabatur; nam die festo S. Viti anno 1505 ibi expositum esse traditur (Manuscript. Corbei. apud Wilmans Kaiserurkunden I. p. 503).

Translatio S. Viti

quo tempore scripta quaeque ei fides tribuenda esse videatur.

Papebrochius (Acta SS., Junii T. II. p. 1017 sq.; Edit noviss. Bruxellis 1863. Junii T. III. p. 496) priorem Translationis partem usque ad verba „anno incarnationis“ (c. 14, Jaffé, Mon. Corb. p. 14), quae primordia novae Corbeiae complectitur, tempore posteriorem esse contendit. Cf. Jaffé l. c. p. 1 sq. Hanc suam sententiam Papebrochius niti vult et eo, quod sermo differat et quod Gerardus in prologo Vitae S. Adalhardi nonnulla in Translatione narrata improbaverit. Gerardus enim haec scripsit (Mabillon Acta IV. 1. p. 346 c. 3): „ . . . non detrahatur priorum sententiae, excepta illius, qui non authentice sensit de hac historia (i. e. Vita Adalh.) in sancti Viti Translatione, non nisi denique per hanc scribendi viam ingressus. Quomodo enim aliter interponeret Corbeiam novam, quam construxit sanctus Adalhardus, licet ad unguem descriperit ipsam translationem factam per successores ejus, inordinate tamen erravit de chronicis principum et Sancti successoribus. Ad cujus errorem falsitatis removendum sufficiens sit cunctis legentibus ejusdem scriptoris, qui etiam hoc, quod ignorando adserit, in hac monet historia (i. e. in Vita Adalhardi a Paschasio scripta) requirendum¹). Quapropter nunc ei hujus inordinationis offensam donemus, eo scilicet tenore, ut in his, quae secus quam sunt, sentit, a nullo sit per singula credendus; et sic ad rei veritatem scribendi calamum vertamus.“

Sed Jaffé (l. c. p. 1 sq.) id quod Papebrochius sentit, prioris partis sermonem discrepare a sermone posterioris, rejiciens (idem

1) Gerardi verba spectant ad c. 11. Translationis S. Viti (Jaffé l. c. p. 11), ubi dicitur, in Paschasii vita Adalhardi legi posse, quomodo Adalhardus monachos Corbeiae novae praeceptis instruxerit.

facit *Histoire litt.* T. IV. p. 519), totam Gerardi vituperationem non justam videri dicit. Veruntamen non supervacaneum erit, investigare, qua re inductus, Gerardus, quamquam ipse ex libello nonnulla affert — in c. 44, Mabillon l. c. p. 355 sq.; cf. Jaffé l. c. p. 2 annot. 2; et in c. 45. l. c. p. 356 —, libelli scriptorem nonnumquam errasse affirmet.

Gerardus mea quidem sententia arbitrari videtur, scriptori, quum libellum conficeret, Paschasii Vitam Adalhardi non ad manum fuisse („qui non authentice sensit de hac historia“); quam ob rem in nonnullis rebus narrandis errasse. Primum improbat ea, quae de primordio novi Saxonici monasterii in libello traduntur. Etenim in opusculo narratur, (c. 7. sqq. Jaffé l. c. p. 8 sqq.) Adalhardo exsulante loco, cui nomen fuit Hethi, parvum monasterium conditum esse idque per sex annos aliquo modo floruisse, quamvis locus ad habitandum aptus non fuerit. Sed quum Adalhardus restitutus apto loco Corbeiam condiderit, monachos in novum monasterium transmigrasse. (Cf. p. 51 sqq.) Paschasius autem, qui cum Adalhardo in Saxonia fuit, quum novum monasterium conderetur (cf. *Vita Walae* l. c. 15. l. c. p. 476) de loco Hethi solum tradit, ibi Adalhardo exsulante opus inchoatum esse; sed nequaquam apertis verbis narrat, inceptum opus esse perfectum. Haec sunt ejus verba (*Vita Adalh.* c. 65. l. c. p. 331): „ . . . pervenit (Adalhardus) usque ad Saxoniae fines, ubi jam parvissima cellula (i. e. parvissimum monasterium) a sancto viro, suo aequivoco, Adalhardo nomine, sumptu hujus monasterii (i. e. Corbeiae antiquae) aedificari coeperat, eo quod idem vir, quia suus fuerat nutritus et familiaris filius, intercesserat loco ejus, dum ipse Hero insula exsul haberetur Videns igitur pius pater ac senex sanctissimus (Adalhardus major) coeptum opus, quod pietatis esset officium, regem adiit et petivit ab eo, ut daretur ei locus aedificandi: quia ille, in quo situm fuerat, non utilis aut aptus esse probabatur.“ Gerardus vero has res ita exponit (*Vita Adalh.* c. 45. l. c. p. 356): „ . . . (Adalhardus minor) quia hoc eum (i. e. Adalhardum majorem) noverat voluisse, gratia amoris ejus ex Corbeianis sumtibus cellam ibi (in Hethi) coepit aedificare; coepit nec perfecit, quousque sanctus ab exilio remeavit.“ Ex his manifestum est, Gerardum id potissimum premere, quod opus inchoatum quidem, sed non perfectum fuerit. Quae quum ita sint, etiam perspicuum fit, quid Gerardus in prologo dicere velit obscuris verbis (c. 3. l. c. p. 346 vide supra): qui non authentice sensit de hac historia Quomodo enim aliter interponeret Corbeiam novam, quam construxit sanctus Adalardus.“

Sine dubio his verbis indicare vult, primordia monasterii Saxonici tribuenda esse majori Adalhardo et non minori, quem monasterium Hethi exaedificasse, in Translatione S. Viti falso narretur. Neque vero assentiendum est Papebrochio (Acta SS. Junii T. II. p. 1033 n. b; Edit noviss. Junii T. III. p. 510 n. b), qui loco cit. legendum esse putat „quam non construxit S. Adalardus“, ita censens: „quid enim aliud posset hic reprehendi? Illud tamen non dicit auctor (i. e. is, qui Translationem scripsit) sed narrat, quomodo de novo monasterio in Saxonia struendo cogitaverit Carolus cum S. Adalhardo.“ — Quae Papebrochii sententia jam refutatur ipsius Gerardi verbis in praefatione, libris miraculorum praefixa, (Mabillon Acta IV. 1. p. 359): „Saxonum Corbeiaecujus fundator exstitit S. Adalardus.“ — Ceterum Gerardi reprehensionem non justam esse, Paschasii verbis in Vita Walae, quod opusculum Gerardus non cognovisse videtur (cf. p. 2), comprobatur, ubi haec de monasterio Hethi: (Mabillon l. c. p. 475; lib. I. c. 13): „Sicque coeptum est opus virtutis, et prosperatum tantisper, donec senex Antonius (i. e. Adalhardus) ab exilio regressus in gratia est restitutus.“

Deinde Gerardus scriptorem „de chronicis principum“ errasse contendit. Quae verba quid sibi velint, facile conjeceris. Ille enim, qui Translationem S. Viti scripsit, ut Adalhardus major monasterium conderet ob hanc unam causam fieri non potuisse narrat, quod is, Pippino rege mortuo, in Italia administranda occupatus fuisset; quod regnum etiam quum Bernardus, Pippini filius, rex factus esset, usque ad Caroli mortem ab eo administratum esse. (Cf. p. 26 annot. 61; p. 50 annot. 18) Paschasius contra Adalhardum pro Pippino Italiam gubernavisse, (Vita Adalh. c. 16; vide p. 18), refert, idem pro Bernardo fecisse non tradit. —

Gerardus igitur scriptorem de hac re i. e. „de chronicis principum“ errasse arbitratur, ut ex ejus narratione apparet. Nam, ubi primum in c. 44. Vitae Adalh. (l. c. p. 355) in iis, quae de monasterio Hethi narrat, Translationis scriptorum secutus est, deinceps ab eo dissentiens ita pergit: „Quo in loco (i. e. Hethi) ecclesiam monachorum usibus aptam aedificare nonnumquam disposuit (Adalhardus major); sed quia locum non satis aptum intellexit, crepera semper dilatione intermisit; quam dilationem protelavit usque ad Caroli mortem et post Carolum usque ad exsilii sui relegationem“. Vidimus, Gerardum ea, quae de Adalhardi administratione Italiae in eo, quem diximus, libello traduntur, falsa esse censere. Neque hoc mirum; nam idem nuper etiam Himly contendit (vide p. 27 annot.). Sed vehementer errant, quum aliis quoque litterarum mo-

numentis, Adalhardum eo tempore in Italia fuisse (vide p. 25 sqq.) comprobetur. — Fortasse Gerardus etiam eo offenditur, quod in libello scriptum invenimus: „anno 822 . . . regnante Ludovico . . . undecimo anno“ (Transl. S. Viti c. 11. Jaffé l. c. p. 11); nam „nono anno“ legendum est. Haec est sententia Schatenii (Annal. Paderb. Edit. alt. Monasterii 1774. I. p. 45.) — Jure praeterea scriptorem vituperare licuit, quod dicit (Transl. S. Viti c. 6. Jaffé l. c. p. 7), Pippinum jam tres annos ante Adalhardi in Italiam adventum mortuum esse; quam rem p. 27 annot. explanavi.

Denique verba Gerardi „erravit de . . . sancti (i. e. Adalhardi) successoribus“ fortasse spectant ad Adalhardum minorem et Walam, Corbeiae abbatem post Adalhardi mortem, a quibus monasterium Hethi conditum et exaedificatum esse, scriptor in Translatione S. Viti tradit, sive ad solum minorem Adalhardum; nam Gerardus etiam scribit: „translationem factam per successores ejus“ et tamen a solo Warino sancti Viti corpus translatum esse optime scivit. Gerardus enim putare videtur, Adalhardum minorem in locum abbatis Adalhardi majoris, quum hic in exilium ejectus esset, non successisse, itaque scriptorem, hanc rem in Translatione tradentem, errasse. Nam de hac re silet, atque locum, quo Paschasius eam narrat, haud dubie male intellexit. Paschasius ita refert (Vita Adalh. c. 65. l. c. p. 331: (Adalhardus major) „pervenit usque ad Saxoniae fines, ubi jam parvissima cellula a sancto viro, suo aequivoco, Adalhardo nomine, sumtu hujus monasterii aedificari coeperat, eo quod idem beatus vir, quia suus fuerat nutritus et familiaris filius, intercesserat loco ejus, dum ipse Hero insula exsul haberetur . . .“ Gerardus contra haec habet (Vita Adalh. c. 45. l. c. p. 356): „Sed habebat (Adalhardus major) ibi quendam in Christo filium prae omnibus sibi monachis familiarem, et univoce aequivocum. Hic ne subintraret aliquis alius, praedictum locum (i. e. Hethi) intercepto loco ejus Et quia hoc eum prius noverat voluisse, gratia amoris ejus ex Corbeianis sumtibus cellam ibi coepit aedificare. . . .“ Sed jam supra p. 39 sq. nobis demonstrasse videmur, Adalhardum minoremin locum majoris successisse.

Ex his quae dixi, satis elucere puto, libellum, qui vocatur Translatio S. Viti, licet nonnulla errata in eo inveniantur (vide supra), nequaquam fide non dignum esse habendum, atque Papebrochium nullis firmis argumentis adjutum priorem partem libelli contendere aetate esse posteriorem.

Index.

De fontibus vitae Adalhardi 1

I.

Adalhardus natus circ. 752 in aula educatur; — in monasterium secedit; — abbas igitur; — in schola palatina Alcuini discipulus; — familiaritate cum doctis viris conjunctus; — Caroli Magni fit consiliarius; — Italiam administrat; missus dominicus; — iterum Italiam gubernat 3


II.

Anno 814 Adalhardus a Ludovico Pio in exilium ejicitur; — per septem annos in insula Hethi degit; — anno 821 in aulam revocatur; — Corbeia regenda ei redditur; — in omnes dignitates restitutus primus Ludovici fit consiliarius; — eo auctore fratres imperatoris aliiq̄ue custodia liberantur; — Concilio Attiniacensi interest; — librum „de ordine palatii“ scribit 31

III.

Adalhardus Corbeiam novis legibus et praeceptis instituit; — „brevem“ confici jubet; — quomodo monasterio prospiciat. — Schola Corbeiensis. — Primordium novae Corbeiae. — Adalhardi obitus 46

Translatio S. Viti quo tempore scripta quaeque ei fides tribuenda esse videatur 60



SR-Media -
Sortimentsbuchbinderei



46519 Alpen
Tel.(02802) 800 111
Ral-RG 495

Einband säurefrei - 17.09.2008

Hm



03SR2039